
MANUALE DIUINORUM OFFICIORUM IUXTA RITUM, ET CONSUETUDINEM...

Chiesa cattolica




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
22 — K
33


MANVALE DIVINORVM OFFICIORVM

IVXTA RITVM, ET CONSVETVDINEM Fratrum, Regulam primitiuam Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli profitentium, qui Excalceati nuncupantur.

Adspice vt æthereo culmen Carmelus Olympo Inserat, & celsis diuidat astra iugis.



Scilicet astrorum Dominæ qui primus honores Contulit, astrifero par meret esse polo.



ROMAE,

Apud Iacobum Mascardum. M. DCIX.


SVPERIORVM PERMISSV.


Imprimatur, Si videbitur R. P. M. Sacri Pal. Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur.


Fr. Thomas Pallauicinus Bononien. Magister, & Reuerendissimi P. Fr. Ludouici Ystella Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius Ordinis Prædicatorum.





FR. FERDINANDVS A SANCTA MARIA VICARIVS GENERALIS CONGREGATIONIS S. ELIAE

Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum vniuerſæ Congregationi Salutem.





VIBVS cor vnum,& anima vna, tamquam ſub vno capite Chriſto viuentibus eſſe debet, & vnã etiam in omnibus oportet eſſe inſtituti rationem, & exercitiorum moderationem. Quapropter, vt quantum per inſtitutum noſtrum licet, Fratres noſtri Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ cæremonias in proceſſionibus, ſicut in alijs Eccleſiaſticis ritibus ſequantur; cum in Miſſali reformato à felicis recordationis Cle-

mente Papa Octauo, quidam ritus quo ad aliqua officia, mutati sint,& ad meliorem formam redacti: necessarium visum est,& hoc nostrum Manuale, quod typis mandari denuo debebat,ad Missalis, & Cæremonialis Romani reformati formam in aliquibus aptare, ceteris intactis remanentibus. Quare præcipimus omnibus Conuentuum nostrorum Superioribus,vt illud summo studio, ac diligentia obseruari faciant. Datum Romæ in nostro Conuentu sanctæ Mariæ de Scala,die 6.Iulij, Anni M. DCIX.

Fr. Ferdinandus a S. Maria
Vicarius Generalis.

PRIMA PARS SIVE PROCESSIONARIVM.

DE PROCESSIONIBVS. Caput Primum.

NOn solum nostri Ordinis antiquum morem, sed etiam S.R.E. Ritualis, seu Caeremonialis seriem sequentes, in hoc nostro Manuali de Processionibus primo loco agendum occurrit.

Quando Processio facienda. §. 1.

IN omnibus igitur Conuentibus nostrae sacrae Congregationis fiet Processio per claustra, seu Ecclesiam, diebus sequentibus. In Dominica Palmarum, & Resurrectionis, in Dominica infra Octauam Corporis Christi, in Purificatione B. Virginis Mariae, in Litanijs maioribus, & minoribus, scilicet in die sancti Marci, & Rogationibus, & in commemoratione solemni omnium Defunctorum.

Poterunt etiam Processiones fieri, quandocumque vrgens aliqua occurrerit necessitas, vel pro speciali populi deuotione, & alias cum videbitur expedire: & tunc secundum loci, & temporis dispositionem Stationes ordinentur, & in suis locis assignata cantentur.

Cum igitur Processio fuerit facienda ob aliquem casum emergentem, Stationes fiant, & omnia cantentur secundum ordinationem Prioris, vel Supprioris Conuentus, de consilio prudentiorum Fratrum, prout materiae, cuius occasione Processio celebratur, & populi excitandae deuotioni conuenire visum fuerit.

De forma in Processione seruanda. §. 2.

CVm Processio facienda fuerit, Sacrista prouideat de omnibus ad eiusdem Processionis celebrationem attinentibus. Hora competenti ingrediuntur Fratres Ecclesiam, incipientibus iunioribus, bini, & bini, & facta altari profunda inclinatione, vel si sanctissima Eucharistia discooperta sit, genuflexione, per choros distribuuntur; si non fuerunt ad altare, procedit Sacerdos solus, vel cum ministris, si adsint. Hoc tamen notandum est, quod quando ministri nõ sunt in altari, debet praecedere Cõuentũ Thuriferarius, Cruciferarius, & Acolythi; cum vero in altari fuerint, erit Crux praeparata in Capella maiori, & similiter quoties Subdiaconus Crucem portare debet, ipsa Crux erit praeparata in Capella, nec eam accipiet, donec Processio incipi debet, ac quoties Conuentus, & ministri Ecclesiam ingrediuntur sine Cruce, Thuriferarius, & Acolythi non praecedent, sed subsequentur Conuentum.

Procedent Fratres vniformiter in Processionibus bini, & bini, cum cappis, &

extra Ecclesiam (cum sanctissima Eucharistia non defertur) coopertis capitibus, demisisque ad terram oculis, gressus tantummodo visu simplici prætendentes, ita vt ædificationis potius causam, quam leuitatis notam (qua & religio famæ bonæ nigredinem patiatur, ac ipsi regulari disciplina, & morigeratione carere putentur) extraneis subministrent.

In Processionibus, in quibus secundum Rubricas Missalis Subdiaconus non debet portare Crucem, Frater aliquis rochetto seu cotta indutus Crucem imagine Crucifixi versus populum portabit (excepta tamen Feria quinta, & Sexta maioris Hebdomadæ) in quibus alius Subdiaconus paratus Crucem ferre debet. Cruciferariũ regulariter præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, & subsequuntur Acolythi cereos accensos portantes, qui omnes rochettis, seu cottis induti esse debent. Deinde Conuentus per ordinem præcedentibus iunioribus, postremo Sacerdos pluuiali indutus, solus sine ministris processio fiat, vel medius inter ipsos ministros, vel solùm cùm Diacono ad sinistram, si Subdiaconus Crucem portet. ministri vero si dalmaticis in illo Officio secundum Rubricas Missalis vti debeant, illis vtentur, alias in Albis cum Stola, & Manipulo Diaconus, Subdiaconus vero cum solo Manipulo procedent.

Stationes vero in Ecclesia hoc modo fient. Prima in latere dextro, ita vt Cruciferarius ad pedes Ecclesiæ, Sacerdos prope Capellã maiorem sistant. Secunda ad pedes Ecclesiæ, ita vt Sacerdos sit in eo loco, vbi ad primã Stationẽ fuit Cruciferarius, ipse vero Cruciferarius, vel ad alterũ latus, vel in medio lateris sinistri Ecclesiæ, prout fuerit religiosorum numerus. In Tertia vero statione Cruciferarius erit prope Capellã maiorem in latere sinistro, Sacerdos econtra ad pedes eiusdem lateris. Quarta Statio fit ad altare maius, vbi omnes genuflectent vsque ad finem, in ingressu bini & bini, & faciunt profundas inclinationes altari.

In singulis Stationibus dum processio sistit, Fratres verso ad inuicem vultu, sint Acolythi tamen, & Cruciferarius simul cum imagine Crucifixi versa ad Conuentum facie consistant: præterquam ante maius Altare stando, quia tunc Acolythi tãtum & Cruciferarius ad prędictum altare conuerti debent: Sacerdos vero cum duobus ministris versam faciem ad Crucem habebit.

Thuriferarius discurret per medium Processionis, & Reliquias, vel imagines Sanctorum. (si in processione deferuntur) necnon Sacerdotem cum eiusdem ministris (prout commodius fieri poterit) in singulis stationibus incensabit.

Cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deportatur, sub Baldachino deferẽdum est, & Fratres nudis capitibus accensas candelas portantes incedent. Thuriferarius vero Sacramentum præcedet, illud incessanter thurificans.

In Processionibus defunctorũ Thuriferarius vrceũ aquæ benedictæ, & aspersoriũ portans, Crucẽ præcedet, & in singulis Stationibus cũ Responsorij pars resumitur, per medium Processionis ad dexteram Sacerdotis, seu Diaconi (si adsint ministri) paratus ei aspersorium porrigere accedit.

Si in huiusmodi Processionibus defunctorum sint induti ministri, Subdiaconus medius inter Acolythos Crucem, Diaconus vero à sinistris Sacerdotis assistens librum deferet.

Pro-

Processio in Dominica Palmarum. §. 3.

Dominica in Ramis palmarum post dictam Tertiam Fratres ingrediuntur Ecclesiam, Conuentum subsequuntur Thuriferarius cum thuribulo fumigante, Acolythi cum cereis accensis, Subdiaconus, & Diaconus in Albis cum Stola, & Manipulo, & Sacerdos cum Pluuiali violaceo, aut in Albis cum sola Stola, factaq. aspersione more solito, Sacerdos cum duobus ministris (debita facta reuerentia) ascendit ad Altare, diuisisque in Choros Fratribus, procedit ad Benedictionem Ramorum (qui supra mensam in superiori Altaris gradu, vel in in alio competenti loco positi erunt) incipientibus Cantoribus, Choroque prosequente Antiphonam infra positam.

Antiph. Hosanna filio Dauid Benedictus qui venit in nomine Domini. O Rex Israel Hosanna in excelsis.

Postea Sacerdos stans à cornu Epistola verso ad Altare vultu, Diacono, & Subdiacono retro stantibus dicit.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus quem diligere, & amare, &c. *vt in Missali.*

Deinde Subdiaconus in loco, quo cantari solet Epistola, modo solito cantat lectionem. In diebus illis venerunt, &c. *Qua finita, ad Sacerdotem reuertitur, & eidem manum osculatur. Interim Conuentus in modum Gradualis cantat vnum ex sequentibus Responsorijs, quod Supprior, vel Cantores maluerint.*

Resp. Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dixerunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eũ sic, omnes credent in eum. * Et venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.

Vers. Vnus autẽ ex illis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, prophetauit dicens: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum, dicentes; * Et venient, &c.

Resp. In monte Olіueti orauit ad Patrem. Pater si fieri potest transeat à me calix iste. * Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: fiat voluntas tua.

Vers. Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. * Spiritus quidem, &c.

Dum Responsorium cantatur, Diaconus ponit supra Altare librum Euangeliorum, & accipiens nauicellam, offert Sacerdoti cochlear cum incenso, postulans ab eo benedictionem: qui benedicit, & imponit illud thuribulo. Deinde Diaconus (deposita nauicula) genuflexus ante medium Altaris, dicit Orationem: Munda cor meum, &c. *Et accipiens de Altari librum, iterum genuflexus ante Sacerdotem petit benedictionem pro Euangelio: qua accepta præcedentibus Thuriferario, & Acolythis cum cereis accensis, comitante ad sinistram Subdiacono, vadit ad locum Euangelij, vbi obseruatis omnibus, quæ in Missa solent fieri, cantat Euangelium.* Cum appropinquasset, &c. *Finito Euangelio Subdiaconus reportat librum ad Sacerdotem, qui eum osculatur, & à Diacono incensatur. Post hæc benedicuntur Rami in hunc modum.*

BENE-

BENEDICTIO.

Sacerdos in tono, quo dicuntur Orationes ad Horas, versus librum in ipso cornu Epistolæ (stantibus à tergo ministris) dicit. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Auge fidem, &c. *Cum ceteris, vt in Missali, vsque ad Orationem.* Benedic quæsumus, &c. *? inclusiue) In prima Oratione cum dicit.* Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. *Prosequitur eodem tono, & modo, quo in Missarum Præfationibus vti solitum est, Versus sequentes.*

Vers. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum, & iustum est. ℣. Vere dignum, & iustum est, &c. *vt in communi Præfatione.*

Postquam Sacerdos dixerit in fine Præfationis, Sine fine dicentes, *Chorus cantat,* Sanctus, *& reliqua, vt in Missa. Deinde Sacerdos, dicto* Dominus vobiscũ. *reliquas Orationes prosequitur vsque ad supradictã Benedic. Qua explicita Celebrans benedicit, & imponit thus in Thuribulum, deinde ter asperget ramos aqua benedicta, dicendo Antiph. Asperges me. sine Psal. & cantu, & ter adolet incensum, deinde dicit.* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, qui Filium tuum, &c. *Qua finita conuersus ad populum sequenti ordine ramos distribuit.*

DISTRIBVTIO.

Dignior ex Fratribus, vel qui præsidet eis, accedit ad altare, & stans ante Sacerdotem offert ei ramum, quem Sacerdos absque osculo, vel genuflexione recipit. Illico Sacerdos stans in medio Altaris supra gradus, distribuit ramos: primum prædicto Fratri, a quo ipse ramum accepit: deinde ministris ante se genuflexis, qui acceptos ramos, ac dextram Sacerdotis manum osculantes, alter ad alterum Sacerdotis latus surgens assistit, vt possint eidem ad manus ramos ceteris distribuendos ministrare. Postea reliqui Fratres per ordinem, incipientes à senioribus, bini, & bini accedentes, facta profunda inclinatione, ad Sacerdotis pedes genuflectent, & quisque eorum primo ramum, deinde manum Sacerdotis dexteram osculabitur.

Cum rami fuerint Fratribus distributi, si qui adfuerint sæculares, accedent etiam ad accipiendum ramos (si supersint) de manu Sacerdotis: & dum fit huiusmodi distributio, Antiphonæ sequentes cantantur à Conuentu.

Antiph. Pueri Hebræorum portantes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino clamantes, & dicentes, Hosanna in excelsis.

Antiph. Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via, & clamabant dicentes, Hosanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Quibus morose & debite decantatis, si necdum distributio consummata fuerit, bis, aut pluries (prout oportuerit) repetantur.

Finita

Finita ramorum distributione, & Antiphonarum cantu, Sacerdos conuersus ad Altare in cornu Epistolæ, ministris a tergo stantibus, dicit ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, &c. *Et responso a Conuentu.* Amen. *Et imposito more solito thure in thuribulo, &c. Diaconus versa ad populum facie, voce, ac tono mediocri, iunctis ad pectus manibus dicit.* Procedamus in pace, *& Conuentus respondet.* In nomine Christi. Amen. *& ordinatur Processio in hac forma.*

Processio.

P*Rocedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem coopertam velo violaceo medius inter duos ytbos cum candelabris accensis: sequitur Conuentus per ordinē, vltimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum ramis in manibus; Fratresque deferent libros ad cantandas sequentes Antiph. vel omnes, vel aliquas, quousque durat Processio.*

Antiph. Cum appropinquaret Dominus Hierosolymā, misit duos ex Discipulis suis, dicens: Ite in Castellum quod est contra vos, & inuenietis pullum asinæ alligatum, super quem nullus hominum sedit, soluite, & adducite mihi: si quis vos interrogauerit, dicite, Opus Domino est. Soluētes adduxerunt ad Iesum, & imposuerunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Alij expandebant vestimenta sua in via. Alij ramos de arboribus sternebant, & qui sequebantur clamabant, Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictum regnum patris nostri Dauid. Hosanna in excelsis. Miserere nobis fili Dauid.

Antiph. Cum audisset populus, quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiam, & clamabant, pueri dicentes: Hic est qui venturus est in salutem populi. Hic est salus nostra, & redemptio Israel. Quantus est iste, cui Throni, & Dominationes occurrunt? Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi sedens super pullum asinæ, sicut scriptum est. Salue Rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

Antiph. Ante sex dies solemnis Paschæ, quando venit Dominus in ciuitatem Hierusalem, occurrerunt ei pueri, & in manibus portabant ramos palmarum, & clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venisti in multitudine misericordiæ tuæ, Hosanna in excelsis.

Antiph. Occurrunt turbæ cum floribus, & palmis Redemptori obuiam, & victori triumphanti digna dant obsequia. Filium Dei ore gentes prædicant, & in laudem Christi voces tonant per nubila. Hosanna in excelsis.

Antiph. Cum Angelis, & pueris fideles inueniamur, triumphatori mortis clamantes, Hosanna in excelsis.

Antiph. Turba multa, quæ conuenerat ad diem festum, clamabat Domino. Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Cum ad vltimam vsque stationem ante fores Ecclesiæ peruentum fuerit, duo Fratres vocibus vniformes Ecclesiā ingrediantur, ac clausis post se ostijs, finitisq. Antiph. omnibus, vel quæ Priori sufficere visæ fuerint, stantes intra Ecclesiā

versa ad Processionem facie decantent versus. Gloria, laus, & honor, &c. *usq. ad* Israel es tu *(exclusiue) Conuentus vero eosdem Versus repetat. Deinde duo prædicti decantent Versus,* Israel es tu, &c. *Et Conuentus, ut prius, prædictos Versus,* Gloria, laus, &c. *repetat, & hoc ordine reliqui Versus a duobus præfatis cantentur, Conuentu post vnumquodque Distichon repetente Versus,* Gloria, laus, &c. *ut infra notatur.*

Vers. Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor;
Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.
Rep. Gloria, laus, &c.
Vers. Israel es tu Rex, Dauidis & inclyta proles:
Nomine qui in Domini Rex benedicte venis.
Rep. Gloria, laus, & honor, &c.
Vers. Cœtus in excelsis te laudat cælicus omnis:
Et mortalis homo, cuncta creata simul.
Rep. Gloria, laus, & honor, &c.
Vers. Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit:
Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.
Rep. Gloria, laus, & honor, &c.
Vers. Hi tibi passuro soluebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Rep. Gloria, laus, & honor, &c.
Vers. Hi placuere tibi; placeat deuotio nostra:
Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Rep. Gloria, laus, & honor, &c.

Finitis omnibus versibus, vel quotquot Priori visũ fuerit, Subdiaconus hastili Crucis percutit ianuas, quæ aperiuntur, & ingreditur Processio, incipientibus Cantoribus Responsorium, Ingrediente, &c. *quod Conuentus communiter prosequitur, & Cantores Versum absque.* Gloria Patri *decantant.*

Resp. Ingrediente Domino in sanctam Ciuitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronunciantes. * Cum ramis palmarum Hosanna clamabant in excelsis. ℣. Cum audisset populus quod Iesus veniret Hierosolymam, exierunt obuiam ei. * Cum ramis, &c.

Finito Responsorio ad Prioris nutum Cantores incipiunt Psal. Deus misereatur nostri, *quem alternatim dicentes Ecclesiam egrediuntur, & inchoatur Missa, tenentibus omnibus, qui in Choro fuerint, ramos in manibus, dum cantatur Passio, & Euangelium tantum.*

Processio in Aurora Dominicæ Resurrectionis. §. 4.

IN die Resurrectionis post Matutinas dictas ante Auroram solemnis Missa in Resurrectionis Dominicæ honorem decantabitur, in qua duæ cõsecrabuntur hostiæ, altera pro officio Missæ, altera vero in Processione deportanda. Si hostia non fuerit consecrata in ipsa pyxide, post sumptionem sanguinis in ea ponatur, antequàm Sacerdos digitos abluat, & collocetur in medio Altaris; Sacerdos vero

vero

ro quoties accedit, vel recedit, ante Sanctissimum Sacramentum genuflectit, & cum se vertit ad Populũ, non dabit terga venerabili Eucharistiæ, sed vertit se ad cornu Epistolæ. Finita Missa congregatis in Ecclesia Fratribus more solito, ibiq. cum candelis accensis genuflexis, nec non & ceteris omnibus necessarijs præparatis, Sacerdos deposita Casula induit Pluuiale, & genuflexus ante medium Altaris imponit thus in Thuribulo, nihil dicens, nec benedicens, acceptoque Thuribulo de manu Diaconi, qui nec catenam, nec manũ Celebrantis osculabitur (quod coram Sanctissimo Sacramento discooperto, vel super Altare posito obseruandum semper erit) ter thurificat reuerenter Sacramentum; interim cantantur Antiph. sequentes.

Exurge Domine in requiem tuam: tu & arca sanctificationis tuæ, Alleluia. Alleluia.

Exurge gloria mea: exurge psalterium, & cithara. Alleluia.

Cantores: Exurgam diluculo: *Conuentus*: Alleluia, Alleluia.

Finita thurificatione, Subdiaconus imponit Sacerdotis collo velum albũ, deinde Diaconus porrigit Sacramentũ Sacerdoti adhuc genuflexo, qui eo accepto surgit, & postquã Cãtores dixerint ℣. Exurgã diluculo, *& Chorus respõdit*, Allel. All. *vertit se ad Populum, & Fratres gratulantes de Filij resurrectione gloriosissimæ Virgini huiusmodi cantant Antiph.* Regina Cæli lætare, Alleluia. Quia quem meruisti portare, Allel. Resurrexit sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deũ, Alleluia. *Dũ hæc Antiph. cantatur, Sacerdos stabit cum Sanctissimo Sacramento versus Populum, ceteris genuflexis. Finita Antiph. mouetur Processio, incipientibus Cantoribus Hymnum,* Aurora lucis, &c. *quem Conuentus communiter prosequitur.*

Processio vero hoc modo ordinabitur. Procedit Frater aliquis cotta indutus, deferens Crucem medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis, deinde Conuentus more solito, postremo Sacerdos sub baldachino cum Sanctissimo Sacramento inter ministros hinc inde fimbrias Pluuialis, & Sacerdotis brachia grauiter, ac modeste sustentantes. Baldachini hastas, si non fuerint sæculares, qui eas portare possint, portabunt aut Sacerdotes habitu ordinario, aut si libuerit, parati cum Albis, & Planetis, aut Diaconi, seu alij Fratres parati cum Albis, & dalmaticis, vt Priori videbitur expedire: quæ omnia communia sunt Processionibus, in quibus Sanctissimum defertur Sacramentum.

Cum vero Fratres nostri prædictas hastas portant, non debet sæcularis aliquis, vllas inter eos portare, nisi fuerit Prælatus, aut vir talis, qui sine inurbanitatis nota non possit non admitti. Si sint Altaria, in quibus Sacramentum collocari possit (alioquin in 1. 2. & 3. statione in Altari Maiori) post finẽ Hymni, vel ℟. *cuiusque, & stationis dicant vnum ex infrascriptis versibus. Celebrans vero stans (ceteris genuflexis) vnam similiter Orationem dicat, qua finita ad aliam stationem procedatur.*

HYMNVS.

AVrora lucis rutilat,
Cælum laudibus intonat:
Mundus exultans iubilat,
Gemens infernus vlulat.
Cum Rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus:

Pede conculcans Tartara
Soluit a pœna miseros.
Ille qui clausus lapide
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.
Solutis iam gemitibus,
Et inferni doloribus:
Quia surrexit Dominus
Resplendens clamat Angelus.
Quæsumus Auctor omnium
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti a mortuis:
Cum Patre, & sancto Spiritu
In sempiterna sæcula Amen.

Vers. In resurrectione tua Christe, All. ℟. Cæli, & terra lætentur, All.

Oremus. Deus, qui hodierna die per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti, vota nostra, quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Resp. Surrexit Pastor bonus, qui animam suam posuit pro ouibus suis. * Et pro grege suo mori dignatus est. Alleluia, Alleluia.
℣. Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno. * Et pro grege suo, &c.

Vers. Surrexit Dominus vere, Alleluia ℟. Et apparuit Simoni, Alleluia.

Oremus. Deus, qui solemnitate Paschali mundo remedia contulisti, populum tuum quæsumus cælesti dono prosequere: vt & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Resp. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autē viuit, viuit Deo. *Alleluia, Alleluia, Allel. ℣. Mortuus est semel propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. * Alleluia, &c.

Vers. Surrexit Dominus de sepulchro, Alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluia. Oremus. Deus, qui in Filij tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam: vt quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudijs facias sempiternis perfrui. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

HYMNVS

Ad cœnam Agni prouidi,
Et stolis albis candidi:
Post transitum maris rubri
Christo canamus Principi.
Cuius corpus sanctissimum
In ara Crucis torridum:
Cruore eius roseo
Gustando viuimus Deo.
Protecti Paschæ vespere
A deuastante Angelo:
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.
Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolatus agnus est:
Sinceritatis azyma
Caro eius oblata est.
O vere digna hostia,
Per quam fracta sunt Tartara:
Redempta plebs captiuata,
Reddita vitæ præmia.

Cum

Cum surgit Christus tumulo,
Victor redit de Barathro:
Tyrannum tradens vinculo,
Et reserans Paradisum.
Quæsumus auctor omnium
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine
Qui surrexisti, &c.

Vers. Crucifixus surrexit à mortuis, Alleluia. ℟. Redemit nos, Alleluia. Oremus. Deus, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem Christum D.N. ℟. Amen. *Postea incipiũt Cantores Hymnum,* Te Deum, *quem ceteri Fratres alternatim vsque in finem, l. vsque dum Sacramentum in Sacrario reconditum sit, prosequentur.*

Cum peruentum fuerit ad Capellam maiorem, Sacerdos cum ministris ascẽdit ad Altare, & posito super aram Sacramento, genuflectit, ac imposito thure in Thuribulo, absque benedictione, ter Sacramentum reuerenter incensat: deinde accipiens tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, illud ambabus manibus tenens, vertens se ad Populum cum illo signum Crucis facit, nihil dicens. Quo finito iterum deponit Sacramentum, & genuflectit, & recludit, in sacrario. Postea rediens ad medium Altaris, finito ℣. *Hymni, qui tunc cantatur, vel toto Hymno, dicunt Cantores* ℣. Dicite in nationibus, *&c. Et Sacerdos stans dicit,* Dominus Vobiscũ, *&c.* Et Orationẽ. *Spiritum, &c. infra positam, quibus explicitis more solito cum Psal.* Deus misereatur, *&c. regreditur in Conuentum.*

HYMNVS.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & vniuersæ potestates.
Tibi Cherubim, & Seraphim: incessabili voce proclamant.
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cæli, & terra: maiestatis gloriæ tuæ.
Te gloriosus Apostolorum Chorus.
Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum: sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensæ maiestatis.
Venerandum tuum verum: & vnicum Filium.
Sanctum quoque paracletum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo: aperuisti credentibus Regna cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Iudex crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni: quos precioso sanguine redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis: gloria munerari.

Saluum

Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ.
Et rege eos, & extolle illos: vsque in æternum.
Per singulos dies benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine: miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.
In te Domine speraui: non confundar in æternum.

Vers. Dicite in nationibus, Alleluia. ℟. Quia Dominus regnauit à ligno, Alleluia. Oremus. Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Deus, qui per resurrectionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi familiam tuam lætificare dignatus es: præsta quæsumus, vt per eius Genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem Christũ, &c. ℟. Amẽ.

Processio in festo Corporis Christi. §. 5.

PRocessio sacratiss. Corporis Christi fiat in Dñica infra octauã vespertino tẽpore, & præparatis omnibus ad Processionem necessarijs, & in Altari maiori Tabernaculo, in quo ipsa sanctiss. Eucharistia deferenda est, dato signo ad Vesperas, Prior Pluuiali albo indutus cum ministris dalmaticis præparatis, siue cum aliquo Sacerdote cotta, vel rochetto induto, præcedentibus Thuriferario, & Acolythis Ecclesiam ingreditur, factaque Altari genuflexione surgit, & dicit confessionem: postea ascendit ad Altare, iterum genuflectit in superiori gradu, & Diaconus aperit sacrarium, & genuflectit, deinde extrahit sacrum Vas, & illud super aram collocat: tunc Sacerdos surgit, & facta iterum Sacramento genuflexione extrahit hostiã ex Vase, & ponit eã in pyxide, & claudit iterum sacrum Vas, quod Diaconus recludit in Sacrario. Collocata igitur pyxide in media ara, iterum Sacerdos genuflectit, & si ibi non sit relinquenda, sed in aliquo throno ad hoc præparato, Diaconus factis debitis reuerentijs eam in throno collocat, & interim Sacerdos digitos abluit, & purificatorio extergit. Deinde ponit thus in Thuribulo, non tamen illud benedicens, nec ei manum ministrans osculatur, & genuflexus ter Sanctissimam Eucharistiam reuerenter incensat. Si autem in ara remanere deberet, ibi incensatur, finitaque thurificatione, factis debitis reuerentijs Sacramẽto, loco solito incipit Vesperas, quas Chorus prosequitur, & fiunt, quæ in Ordinario notantur in Vesp. Primæ Class. præterquã quod Sacratissimã Eucharistiã semper genuflexus thurificat. Finitis Vesp. & Concione, (si forte habenda sit) omnes Fratres Ecclesiam ingrediũtur more solito, diuisisque in Choros cum cereis accensis, Diaconus ministrat Sacerdoti nauiculam incensi, ipseque incensum in duobus Thuribulis imponit, sine benedictione: deinde accepto altero ex Thuribulis, genuflexus ter Sacramentum thurificat, postea Subdiaconus imponit super humeros Sacerdotis velum aliquod sericum perpulchrum, quod spinulis firmabitur, ne forte per viam decidat, & cum debitis reuerentijs accipiet pyxidem cum Sanctissimo Sacramento de Altari, & illam in mani-

manibus Sacerdotis genuflexi collocabit, cui nec manũ osculabitur, nec vllam faciet reuerentiam, sed statim Sacramento genuflectit. Interim cantatur Antiph. O Sacrum conuiuium, &c. *vel.* ℣. Tantum ergo Sacramentum, &c. *Quo finito Cantores incipiunt Hymnum.* Pange lingua, &c. *& Sacerdos surgit, & stans in medio Altaris versus Populum expectat, donec omnes Fratres e Capella egrediantur, qui bini Sacramento genuflexionem facient: tunc Sacerdos descendit sub baldachino, cuius hastas deferent, aut nobiles aliqui sæculares aut (quod decentius erit) Sacerdotes Pluuialibus, vel (si haberi nequiuerint) planetis albis induti. Dum autem Conuentus canit Hymnum, & Resp. infra posita, Sacerdos alternatim cum ministris submissa voce dicet Psalmos, vel Hymnos. In prima, & secunda statione, si Altaria, vbi Sanctissimum Sacramentum collocetur, defuerint, genuflexis omnibus præter Sacerdotem, & ministros eius brachia sustentantes, cantabit Sacerdos Orationem de Sanctissimo Sacramento.*

Cum peruentum fuerit ad Altare maius, Diaconus facta prius Sacramento genuflexione, accipit pyxidem de manu Sacerdotis stantis, & illam super Altare ponit, & Sacerdos retrocedens aliquantulum, stans imponit thus in Thuribulo sine benedictione, & genuflexus in supremo Altaris gradu ter thurificat Sacramentum, quo facto duo Fratres dicunt ℣. Panem Cæli, *&c. & Conuentus respondet.* Omne delectamentũ, *&c. tunc Sacerdos surgit, & dicit Orationem.* Deus qui nobis, *&c. qua finita accedit ad Altare, & accepto Tabernaculo cum Sanctissimo Sacramento, illud ambabus manibus eleuatum tenens, vertens se ad Populum, cum illo signum Crucis super populum faciet nihil dicens, quo facto, iterum ponet Sacramentum super Altare, & genuflectet. Et si ibi Sacramentum relinquendum est, facta aliquantulum Oratione, discedit; sin minus, in Sacrario recludet, & si opus fuerit digitos abluat, ablutioq. in piscinam eijciatur.*

Si vero Sacramentum in Altari remanserit, dictis in Choro Matutinis, & Laudibus (vel si dicendum non sit Matutinum) cantato Completorio, Sacerdos paratus, vt ad Vesperas, cum Acolythis, & Thuriferario, & Sacrista cum cotta accedit ad Altare, & facta prius confessione, incensatoque Sacramento accipit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, & vertit se ad Populum, illum benedicens, & perficiens circulum per latus Euangelij, extrabit (si opus fuerit) Sacramentum ex pyxide, & reponit in Sacrarium. Interim canitur in Choro Hymn. Pange lingua, &c. *vel,* ℣. Tantum ergo, &c. & ℣. Panem cæli, &c. *Deinde Sacerdos subiungit Orationem.* Deus, qui nobis sub Sacramento, &c.

HYMNVS.

PAnge lingua gloriosi
Corporis mysterium:
Sanguinisque preciosi,
Quem in mundi precium:
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine:
Et in mundo conuersatus
Sparso verbi semine:
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus:
Obseruata lege plene
Cibis in legalibus:
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitq; sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus, & iubilatio:
Salus, honor, virtus quoque
Sit, & benedictio:
Procedenti ab vtroque
Compar sit laudatio. Amen.

Vers. Panem de cælo præstitisti eis, Alleluia. ℟. Omne delectamentum in se habentem, Alleluia. Oremus.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Resp. Cœnantibus illis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait. * Accipite, & comedite: Hoc est corpus meũ. ℣. Dixerunt viri tabernaculi: quis det de carnibus eius vt saturemur? * Accipite, &c.

Vers. Educas panem de terra, Alleluia. ℟. Et vinum lætificet cor hominis, Alleluia. Oremus. Deus qui nobis, &c. *vt supra.*

Resp. Respexit Elias ad caput suum subcineritium panem, qui surgens comedit, & bibit. * Et ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei. ℣. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. * Et ambulabit, &c.

Vers. Panem cæli dedit eis, Alleluia. ℟. Panem Angelorum manducauit homo, Alleluia Oremus. Deus, qui nobis, &c. *vt supra.*

Resp. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. * Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur. ℣. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. * Hic est panis, &c.

Vers. Posuit fines tuos pacem, Alleluia. ℟. Et adipe frumenti satiat te, Alleluia. Oremus. Deus, qui nobis, &c. *vt supra.*

Antiph. O Sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, Alleluia.

Vers. Cibauit illos ex adipe frumenti, Alleluia. ℟. Et de petra melle saturauit eos, Alleluia.
Oremus. Deus qui nobis, &c. *vt supra.*

Processio in Purificatione B. Virginis Mariæ. §. 6.

HOc die (si in Dominica à Septuagesima vsque ad Quadragesimã nõ venerit) duo pallia apponantur, alterum album, violaceum alterum, remouendum post

Processionem, & praeparentur candelae benedicendae in cornu Epistolae super parua aliqua mensa, & ibidem ponatur Vas cum aqua benedicta, & aspersorio, & decantata in Choro Tertia, omnes Fratres Ecclesiam ingrediuntur, quos sequetur Sacerdos Pluuali violaceo indutus, praecedentibus Thuriferario cum thuribulo fumigante, Acolythis cum cereis accensis, Subdiacono cum albo Manipulo, & Diacono cum alba stola, & Manipulo violaceo. Cum peruentum fuerit ad Altare, facta ibi genuflexione, ascendit Sacerdos cũ ministris ad Altare, ibique benedicit candelas, prout in Missali, finitaque vltima Oratione Celebrans, ministrante sibi Diacono, imponit thus in Thuribulo, quo imposito accipit de manu eiusdem Diaconi aspersorium cum aqua benedicta, & candelas aspergit: mox accepto Thuribulo triplici ductu illas thurificabit, quo facto retrahit se ante medium Altaris, eidem renes vertens, & stabit medius inter Diaconum, & Subdiaconum: tunc accedit dignior è Fratribus, vel qui praesidet eis, & stans tribuit candelam accensam Sacerdoti, qui eam accipiens non genuflectit, nec osculatur tribuentis manum. Ipse vero tribuens candelam deosculabitur. Deinde Celebrans singulis Fratribus accensas distribuit candelas, prius digniori, deinde ministris: postea vero reliquis Fratribus per ordinem, incipiendo à senioribus, qui bini, & bini accedentes, ante Sacerdotem genuflectent, & cum accipiunt candelas, primo acceptam candelam, deinde manum Sacerdotis dexteram osculabuntur.

Cum incboatur distributio, decantantur communiter, Antiph. Lumen ad reuelationem, &c. *Et Canticum*. Nunc dimittis. *ita vt post vnumquemque versum Cantici, praedicta Antiphona repetatur*.

Antiph. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuae Israel.
Cant. Nunc dimittis seruum tuum Domine: secundum verbum tuum in pace.
Antiph. Lumen ad reuelationem, &c.
Vers. Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.
Antiph. Lumen ad reuelationem, &c.
Vers. Quod parasti: ante faciem omnium populorum.
Antiph. Lumen ad reuelationem, &c.
Vers. Gloria Patri & Filio: & Spiritui sancto.
Antiph. Lumen ad reuelationem, &c.
Antiph. Sicut erat in principio, &c.
Vers. Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuae Israel.

Deinde cantatur sequens Antiph. cum Versu, & repetitione ad modum Introitus Missae.

Antiph. Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.
Vers. Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis.
℣ Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto, &c. Exurge Domine; &c.
Sacerdos. Oremus. *Si intra Septuagesimam est, Diaconus cum ceteris omnibus genuflectens dicit:* Flectamus genua. *Postea Subdiaconus surgens:* Leuate. *Quo dicto surgunt omnes, & Sacerdos cantat Orationem:* Exaudi quaesumus Domine, &c. *vt in Missali.*

Finita benedictione (tenentibus omnibus accensas candelas) Celebrans benedicit,

cit, & imponit incensum; Diaconus vero vertens faciem ad populum, dicit tono, & voce mediocri: Procedamus in pace. *Et responso à Conuentu,* In nomine Christi: Amen. *mouetur Processio, incipientibus Cantoribus sequentem Antiph. Dum autem fit processio, remoueatur paramentum violaceum ab Altari, & remaneat album, &c.*

Antiph. Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem Christum. Amplectere Mariam, quæ est cælestis porta, ipsa enim portat Regem gloriæ noui luminis. Subsistit Virgo adducens manibus filium ante luciferum genitum, quem accipiens Simeon in vulnas suas, prædicauit populis Dominum eum esse vitæ, & mortis, & Saluatorem mundi, &c.

Antiph. Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: & cum inducerent puerum in templum, accepit eum in vulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace.

Finita Antiph. Cantores dicunt Versum, ad cuius initium mouetur Processio, & fit tertia Statio.

Vers. Cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, ipse accepit eum in vlnas suas, & dixit. Nunc dimittis, &c.

Conuentus prosequitur alternatim totum Canticum, Nunc dimittis, &c. *vsque dum perueniatur ad Ecclesiæ ianuam, in cuius ingressu Cantores incipiunt sequens Responsorium.*

Resp. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum: * Sicut scriptum est in lege Domini. ℣. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino. * Sicut, &c. ℣. Gloria Patri, &c. * Sicut scriptum est, &c. *Deinde facto per Præsidentem signo, redeunt ad Conuentum cum Psal.* Deus misereatur nostri. *Et depositis candelis inchoatur officium Missæ.*

Si Processionem contingat fieri in Festo B. Mariæ de Monte Carmelo, vel alterius eiusdem Virginis, aut aliorum Sanctorum solemnitatibus, obseruatis quæ Processionibus sunt communia, decantari poterunt duo, vel tria Responsoria, quæ Priori, vel Suppriori videbuntur eidem solemnitati conuenire, & Hymnus Vesperarum cum eius ℣. & Oratione.

Processio in Litanijs maioribus, & Rogationibus. §. 7.

IN die sancti Marci, & in Feria secunda, Tertia, & Quarta, ante Ascensionē fit Processio, & Litaniæ (prout infra ponuntur) decantantur.

Postquam Fratres processionaliter more solito ingressi fuerint maiorem Capellam, genuflectunt, Cantores vero in medio Processionis similiter genuflexi incipiunt Litanias, dicentes: Kyrie eleyson, &c. *Idem, eodemque modo, quo à Cantoribus dictum est, Conuentu repetente. Dicto à Cantoribus Versu,* Sancta Maria, &c. *Et repetitione à Conuentu facta, surgentes egrediuntur Ecclesiam*

pro-

processionaliter, & fiunt Stationes per Claustra in hac forma.

In Statione prima, Versus omnes, quibus Apostoli, & Martyres inuocantur, terminabuntur: cumque à Cantoribus fuerit incohoandus Versus, Omnes sancti Martyres, *mouetur Processio, & fit secunda Statio, sub qua inuocantur Sanctorum nomina Confessorum: & ad incohoationem Versus,* Omnes sancti Sacerdotes, *proceditur ad tertiam Stationem, quæ durabit vsque dum ventum fuerit ad Versum,* Propitius esto: *ad cuius inceptionem mouetur Processio, & quarta Statio fit, in qua reliqui Versus vsque ad* Peccatores. Te rogamus, &c. *(exclusiue) decantantur, & tunc ingrediuntur Ecclesiam, vbi vltima Statio fit. Ad* Kyrie eleison *vero genuflectunt omnes verso ad Altare vultu, permanentes eodem modo, vsque ad vltimam Orationem.*

Cum vero Processio solum fit per Ecclesiam, fiant tres Stationes more solito. In prima erunt quousque Cantores dicant: Omnes sancti Martyres. *In secunda vsque ad finem inuocationis Sanctorum, ita vt dum dicitur:* Propitius esto, *moueatur Processio. Tertia vero vsque ad illum* ℣. Peccatores. ℟. te rogamus audi nos, *durabit.*

LITANIAE.

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus. miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. mis.
Spiritus Sancte Deus. mis.
Sancta Trinitas vnus Deus. mis.
Sancta Maria. Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix. ora.
Sancta Virgo virginum. ora.
Sancte Michael. ora.
Sancte Gabriel. ora.
Sancte Raphael. ora.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli. orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines. orate.
Sancte Pater Elia. ora.
Sancte Elisæ. ora.
Sancte Ioannes Baptista. ora.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ. orate.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Iacobe. ora.
Sancte Ioannes. ora.
Sancte Thoma. ora.
Sancte Iacobe. ora.
Sancte Philippe. ora.
Sancte Bartholomæe. ora.
Sancte Matthæe. ora.
Sancte Simon. ora.
Sancte Thadæe. ora.
Sancte Matthia. ora.
Sancte Barnaba. ora.
Sancte Luca. ora.
Sancte Marce. ora.
Omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ. orate.
Omnes sancti discipuli Domini. orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane. ora.
Sancte Laurenti. ora.
Sancte Vincenti. ora.
Sancte Angele. ora.
SS. Fabiane, & Sebastiane. orate.

Sancti Ioannes,& Paule. orate.
Sancti Cosma,& Damiane. orate.
Sancti Geruasi,& Prothasi. orate.
Omnes sancti Martyres. orate.
Sancte Siluester. ora.
Sancte Gregori. ora.
Sancte Ambrosi. ora.
Sancte Augustine. ora.
Sancte Hieronyme. ora.
Sancte Cyrille. ora.
Sancte Martine. ora.
Sancte Nicolae. ora.
Omnes sancti Pontifices,& Confessores. orate.
Omnes SS. Doctores, orate.
Sancte Ioseph. ora.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Antoni. ora.
Sancte Bernarde. ora.
Sancte Dominice. ora.
Sancte Francisce. ora.
Sancte Alberte. ora.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ. orate pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes, & Leuitæ. orate pro nobis.
Sancta Anna. ora.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Agatha. ora.
Sancta Lucia. ora.
Sancta Agnes. ora.
Sancta Cæcilia. ora.
Sancta Catharina. ora.
Sancta Anastasia. ora.
Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ. orate pro nobis.
Omnes Sācti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis Domine.
Propitius esto. Exaudi nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab omni peccato. lib.
Ab ira tua. lib.
A subitanea,& improuisa morte. lib.
Ab insidijs Diaboli. lib.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate. lib.
A spiritu fornicationis. lib.
A fulgure,& tempestate. lib.
A morte perpetua. lib.
Per mysterium S. Incarnationis tuæ. libera nos Domine.
Per Aduentum tuum. lib.
Per Natiuitatem tuam. lib.
Per Baptismum, & S. Ieiunium tuum. libera nos Domine.
Per Crucem,& Passionem tuam. lib.
Per mortem,& sepulturam tuam. lib.
Per sanctam Resurrectionem tuam. libera nos Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam. libera nos Domine.
Per Aduentum Spiritus sancti Paracliti. lib.
In die Iudicij. lib.
Peccatores. te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas. te rog.
Vt nobis indulgeas. te rog.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris. te rog.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere, & conseruare digneris. te rog.
Vt Domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines in sancta Religione conseruare digneris. te rogamus.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris. te rog.
Vt Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiā donare digneris. te rog.
Vt cuncto populo Christiano pacem, & vnitatem largiri digneris. te rog,
Vt nosmet ipsos in tuo sancto seruitio confortare, & conseruare digneris. te rog.
Vt mentes nostras ad cælestia desideria

ria erigas. te rog.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas. te rog.
Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias. te rog.
Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris. te rog.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. te rog.
Vt nos exaudire digneris. te rog.
Fili Dei. te rog.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. ℣. Et ne nos, &c.
℟. Sed libera nos à malo.

PSALMVS. 69.

DEus in adiutoriũ meũ intende: Dñe ad adiuuandũ me festina.
Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.
Auertantur retrorsum,& erubescãt: qui volunt mihi mala.
Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, euge, euge.
Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te:& dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
Ego vero egenus, & pauper sum: Deus adiuua me.
Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Gloria,&c.

Vers. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. & filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum,& beatum faciat eum in terra,& non tradat eum in animam inimicorum eius. ℣. Oremus pro benefactoribus nostris. ℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen. ℣. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem æternam dona eis Domine,& lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper,& parcere: suscipe deprecationem nostram, vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

Exaudi

EXaudi quæsumus Domine, supplicum preces,& confitentium tibi parce peccatis,vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus,& pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis,quas pro his meremur,eripias.

DEus,qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ,quæ pro peccatis nostris meremur,auerte.

OMnipotens sempiterne Deus,miserere famulo tuo, Pontifici nostro N. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ:vt te donante tibi placita cupiat,& tota virtute perficiat.

DEus,a quo sancta desideria, recta consilia,& iusta sunt opera: da seruis tuis illam,quam mundus dare non potest pacẽ:vt & corda nostra mandatis tuis dedita,& hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

VRe igne Sancti Spiritus renes nostros,& cor nostrum Domine, vt tibi casto corpore seruiamus,& mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium conditor,& Redemptor,animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat,& per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul, & mortuorum,omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus,quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum,&c. ℟. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Exaudiat nos omnipotens,& misericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad similitudinem harum Processionum regulari poterunt & aliæ Processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque cõtingunt ad placandam iram Dei. Si vero celebrandæ erunt Processiones ex causa lætitiæ,& pro gratiarum actione. aut etiam pro translatione aliquarum insignium reliquiarum Sanctorũ, ordinari poterunt,vt commoditas, & res postulauerit,arbitrio Prioris.

Si occurrat tribulatio aliqua, vel alia quæuis causa toti regioni, vel ciuitati communis,pro qua oporteat fieri Processionem,seruentur ea,quæ alijs Processionibus sunt communia, & canentur ea,quæ ab Ordinarijs locorum tali tempore ordinari solent, vel Litaniæ cum Oratione, seu Orationibus,quæ Priori conuenire videbuntur.

Processio pro Defunctis in commemoratione omnium fidelium Defunctorum. §. 8.

Sacrista præparabit ante ingressum Capellæ maioris, vel in medio ipsius Capellæ, siue Ecclesiæ plaustrũ, siue lecticam mortuorũ ad faciendam absolutionem, secundum morem Patriæ, iuxta tamen paupertatem nostram, & supra ipsam lecticam ponet habitum cum craneo humano.

Post Missam vero Conuentualem omnes Fratres in Ecclesiam conueniunt, & Sacerdos deposita Planeta, & Manipulo, accipit Pluuiale nigrum, & procedunt omnes ad locum destinatum pro absolutione facienda, ad quem cum peruentum fuerit, Fratres hinc inde versis ad feretrum vultibus stabunt, & Sacerdos ad caput lecticæ cum Diacono. Incipientque Cantores ℟. Libera me Domine, &c. *quod Chorus prosequitur. Interim Diaconus acceptam a Thuriferario nauiculam incensi offert Sacerdoti cochlear, sine vlla tamen osculatione, & Sacerdos imponit thus in Thuribulo sine benedictione. dicto vltimo* Kyrie, *Sacerdos dicit,* Pater noster. *clara voce, accepto asperforio a Diacono aspergit lecticam circum circa ambulans, incipiens a parte dextra, tertio aspergens quamlibet lecticæ partem, Diacono a sinistris comitante, & fimbrias Pluuialis subleuante: deinde ab eodem Diacono capiet Thuribulum, & lectum similiter circum circa thurificabit, tertio in qualibet parte Thuribulum ducens. postquam redierit post thurificationem ad locum suum, dicit* ℣. Et ne nos inducas, &c. *vt infra. Finita Oratione ordinatur Processio per Ecclesiam more solito, & in ea canuntur* ℟℟. *infra posita, vnum in qualibet statione, & alterũ in capella maiori, ad quæ* ℟℟. *adhibetur aqua benedicta, sed non incensum.*

Resp. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda.* Quando cæli mouendi sunt, & terra: dum veneris iudicare sæculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. * Quando, &c. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Resp. Credo quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: * Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt: * Et in carne mea, &c. Kyrie eleison, &c. Pater noster: ℟. Et ne nos, &c. ℣. Credo videre bona Domini. ℟. In terra viuentium. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus veniæ largitor,& humanæ ſalutis amator,quæſumus clementiam tuam,vt noſtræ Congregationis fratres,ſorores,propinquos,& benefactores,qui ex hoc ſæculo tranſierunt,Beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Reſp. Domine, quando veneris iudicare terram, vbi me abſcondam a vultu iræ tuæ. * Quia peccaui nimis in vita mea? ℣. Commiſſa mea paueſco,& ante te erubeſco: dum veneris iudicare, nõli me condemnare. Quia peccaui,&c. Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter. ℣. Et ne nos, &c. ℣. In memoria æterna erunt iuſti. ℟. Ab auditione mala non timebunt. ℣. Domine exaudi,&c. ℣. Dominus vobiſcum,&c. Oremus.

DEus, qui nos patrem, & matrem honorare præcepiſti:miſerere clementer animabus parentum noſtrorum, eorumque peccata dimitte, noſque illos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Reſp. Memento mei Deus,quia ventus eſt vita mea. *. Nec aſpiciat me viſus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. * Nec aſpiciat me,&c. Kyrie eleiſon,&c.Pater noſter. ℣. Et ne nos,&c. ℣. Collocet eos Dominus cum principibus. ℟. Cum principibus populi ſui. ℣. Domine exaudi,&c. ℣. Dominus vobiſcum. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus,cui numquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur:propitiare animabus famulorum, famularumque tuarum, vt qui de hac vita in tui nominis confeſſione deceſſerunt,ſanctorum tuorum numero facias aggregari.Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Reſp. Ne recorderis peccata mea Domine. * Dum veneris iudicare ſæculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam * Dum veneris, &c. ℣. Requiem æternã dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. * Dum veneris, &c. Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter. ℣. Et ne nos, &c. ℣. Ne tradas beſtijs animas confitentium tibi. ℟. Et animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiſcum,&c. Oremus.

DEus,cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt,famulis,& famulabus tuis omnibus hic,& vbique in Chriſto quieſcentibus da propitius veniam peccatorum,vt a cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur.

ABſolue quæſumus Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum,vt in reſurrectionis gloria inter Sanctos,& electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. *Cantores*. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Deinde altero ex Cantoribus incipiente Pſal. De profundis, *& Choro eundem proſequente reuertuntur ad Conuentum: Sacerdos vero dicit.* ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine,&c. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiſcũ.

Oremus

Oremus.

FIdelium Deus omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen. Pater noſter, totum ſecreto.

DE ALIQVIBVS OFFICIIS, pro die Cinerum, ac tribus vltimis diebus maioris Hebdomadæ. Cap. II.

De impoſitione Cinerum prima Feria 4. Quadrageſimæ. §. 1.

H*Ac die dicta Nona ante Miſſam Conuentualẽ, Fratres hoc ordine Eccleſiã ingrediantur. Primo Conuentus præcedentibus iunioribus, deinde Thuriferarius cum Thuribulo, & Acolythi ſine cereis, poſtea Sacerdos Pluuiali violaceo indutus (ſi contingat adeſſe miniſtros, ipſi præcedent Sacerdotem in Albis, Subdiaconus cum Manipulo; Diaconus cũ ſtola, & Manipulo) Igitur cũ peruentũ fuerit ad gradus Altaris maioris, Conuentus in Choros diuidatur, facta prius inclinatione more ſolito; Sacerdos vero aſcendit ad Altare (ſuper quod erit vas cum cineribus in latere Epiſtolæ, & in angulo Altaris vas cum Aqua benedicta, & aſperſorio) & ſtans in cornu Epiſtolæ benedicit cineres, cantante Conuentu Antiphonam infra poſitam ad modum introitus Miſſæ.*

BENEDICTIO CINERVM.

Antiph. Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine. ℣. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animã meam. ℣. Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c. Exaudi nos Domine, &c. Deinde Sacerdos conuerſus ad Altare, ſtans dicit. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Omnipotens, &c. *cum reliquis, vt in Miſſali. Poſtea celebrans poſito incenſo in thuribulo ter aſpergit cineres Aqua benedictã, dicendo Antiphonam:* Aſperges me, *ſine Pſal. & cantu, & ter adolet incenſum.*

IMPOSITIO CINERVM.

C*Ompleta Benedictione Cantores incipiunt Antiph.* Immutemur, *quam Chorus proſequitur. Interim Sacerdos accedit ad medium Altaris, & dignior è Fratribus, ſiue qui præſidet aſcẽdens, ibi imponit cineres Celebranti non*

D genu:

genuflexo, sed capite inclinato, dicens, Memento homo quia puluis est, & in puluere reuerteris. *Quod si alius non adsit Sacerdos, ipsemet coram Altari genuflexus sibi ipsi cineres imponit, nihil dicẽs. Deinde surgit, & stãs in medio Altaris supra gradus versus populũ, duob⁹ digitis (videlicet pollice, & indice manus dextræ) omnibus Fratribus in capite cineres imponit in modum Crucis, dicendo:* Memento homo, &c. *Primo ei, qui sibi ipsi cineres imposuit: deinde ministris, postea Acolythis, simul & Thuriferario, denique reliquis Fratribus binis, & binis, incipiendo à senioribus, in gradu superiori Altaris ad pedes eiusdem Sacerdotis genuflexis. Postremo sæcularibus (si adsint) ijs, qui primam clericalem tonsuram adepti fuerint, in capite, reliquis vero in fronte.*

Dum fit impositio cinerum, cantatur. Antiph. Immutemur, &c. *Cum reliquis, vt infra.*

Antiph. Immutemur habitu in cinere, & cilicio: Ieiunemus, & ploremus ante Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster.

Antiph. Inter vestibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes, ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne claudas ora canentium te Domine.

Resp. Emendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus: ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus. * Attende Domine, & miserere, quia peccauimus tibi. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos. * Attende, &c. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. * Attende, &c.

Finita Cinerum impositione Sacerdos dicit: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Concede nobis Domine, &c. *Vt in Missali: & responso à Conuentu,* Amen. *eodem, quo progressi sunt ordine reuertuntur.*

Postea Sacrista, vel alius quilibet Sacerdos, imposita stola accipiens vas cinerum pergit ad infirmariam, & imponit cineres infirmis, deinde alijs quibuslibet, tam Religiosis, quam sæcularibus, quibus antea impositi non fuerunt.

De Matutinis tenebrarum. §. 2.

HOc triduo, hora competenti, paratur ante Altare à latere Epistolæ Cãdelabrum triangulare, accommodatum ad sustinendos quindecim cereos ceræ communis, qui ante initium officij accendentur; & post singulos Psalmos singuli extinguentur, tã in Matutinis, quam in Laudibus, incipiendo ab eo, qui est in extremitate positus à latere Euangelij. dum dicitur Versus: Sine timore, *in Cantico* Benedictus, *extinguitur vna ex sex candelis ex eadem cera in Altari positis, & incipiendo à cornu Euangelij, ad singulos versus singulæ extinguentur, & omnia similiter luminaria per Ecclesiam, præterquam ante sanctissimum Sacramentũ. ita vt in fine,* Benedictus, *reperiantur omnia extincta. Cum repetitur Antiph. post* Benedictus *Sacrista, vel alius ex triangulari candelabro cereum vnicum accensum in cuspide trianguli positum, eumque accen-*

accensum eleuata manu sustinet super cornu Epistolæ Altaris, vel super paruula mensa, & cum inchoatur Antiph. Christus factus est, &c. *illum sic accensum abscondit retro altare, vel alio modo, & genuflectentibus omnibus in Choro dicitur,* Pater noster. *& Psalmus,* Miserere mei. *vt in Breuiario, quo finito Præses genuflexus subiungit Orationem*, Respice, &c. *Qua finita fit aliquantulum strepitus, donec candela accensa in medium proferatur, eaque prolata omnes cessare debent a strepitu. Si autē Chorus aptus sit ad faciendam in eo disciplinam communem, antequam proferatur cereus, fiat, quæ durabit dum cantatur ter Psalmus,* Miserere, *finitoque vltimo, cantatur Antiph.* Christus factus est, &c. *vt in officio, Præsesque subiunget solam Orationem,* Respice, *quæ secreto terminatur vt in Officio: Si vero in Choro non poterit fieri, fiat loco solito, vel alio commodiori.*

Processio Feriæ quintæ in Cœna Domini, quando sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reconditur in Monumento. §. 3.

HOc die Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum vnam reseruat pro die sequenti, alteram sumit, qua sumpta simul cum Sanguine, ante ablutionem digitorum ponit Hostiam reseruatam in alio calice, quem Diaconus palla & patena cooperit, & desuper velum expandit, & in medio Altari collocat. Interim Fratres ingrediuntur Ecclesiam, ac in forma Processionis per Choros (iuxta loci capacitatem) diuiduntur, & fit communio more solito, ita vt post Diaconum & Subdiaconum cōmunicentur Sacerdotes: postea Acolythi, & Thuriferarius simul, tunc reliqui Fratres, tandem sæculares si qui adsint, & Fratres si sæculariū cōmunionē non impediunt, ibi remanebunt vsque ad Processionē, alioquin recedunt in Chorum (si prope sit) vel alium commodiorem locum, vbi cantabunt postcommunionem, & fient alia vt in Missali.

Sacrista curet, quod tunc temporis omnia, quæ ad Processionem, & Monumentum pertinent, præparata sint: Arca videlicet, seu Tabernaculum (ab intus, vbi reponendum est Sacramentum, Aram, & Corporale continens) & clauis cum cera, & sigillo, ad signandam seram, si mos erit sigillandi eam. Denique candelæ cum ceteris necessarijs præparabuntur.

Præterea iuxta Altare Officij cooperta Crux, & baldachinum reponentur, & duo erunt præuenti Thuriferarij, qui Sacramentum (dum in Processione portabitur) incessanter thurificent.

Omnibus sic dispositis, Supprior, & Sacrista, vel alij duo ex senioribus præuenient quatuor, vel sex Fratres Sacerdotes, aut (si ij non adsint) aliquos ex dignioribus sæcularibus, iuxta præfatum numerum, qui baldachinum portent: ceteris vero qui aderunt omnibus, alij duo Fratres candelas distribuent.

Celebrans cum duobus ministris ad medium Altaris genuflectens adorat Sacramentum. Deinde altero ex Thuriferarijs nauicellā Diacono tribuente, incensum vtroq. imponit thuribulo, non tamen illud benedicit. Deposita nauicula Dia-

conus thuribulum tribuit Sacerdoti, qui Sacramentum reuerenter incensat.

Subdiaconus imponit collo Sacerdotis super Pluuiale mappam sericeam, quæ per humeros descendat deorsum vsque ad media terga, cuius extremitates ad pectus descendentes coniungantur. Diaconus vero genuflectens, & deinde surgens, accipiens Calicem, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum continentem, tradit eum Sacerdoti adhuc genuflexo, cooperiens illum extremitatibus prædictæ mappæ, ab humeris Sacerdotis dependentis.

Sacerdos surgens cum ministris conuertit se ad populum, & descendit sub baldachino, incipientibus Cantoribus Hymnum Pange lingua, *vt supra in Processione Corporis Christi. §. 5. fol. 15. Deinde prosequente Conuentu prædictum Hymnum, ordinatur Processio vsque ad Monumentum per Ecclesiam, vel maiorem Capellam, (prout commodius videbitur) in hac forma.*

Præibit Subdiaconus aliquis paratus Alba, & dalmatica cum Manipulo, deferens Crucem coopertam medius inter Acolythos, quos (si qui aderunt) sæculares insequentur. Deinde Fratres præcedentibus iunioribus. Postea Sacerdos sub baldachino a dextris Diacono, Subdiacono vero a sinistris assistentibus, ipsiusq. brachia quibus Calicem defert subleuantibus; quem præcedent duo Thuriferarij Sacramentum incensantes.

Cum peruentum fuerit ad Monumentum, Celebrans medius inter ministros ascendit, stansque ante Arcam, vbi reponendum est Sacramentum, amotis desuper mappæ extremitatibus, ponit illud super Altare, & retrocedens paulo imponit incensum in Thuribulo, & genuflexus incensabit Sacramentum triplici ductu. Deinde reponit in Arca eam claudens, & (si moris est) seram eius signans, diligenter apud se clauem custodit, & sigillum. Sed vbi aliquem, vel aliquos ex dignioribus sæcularibus huic actui testes adhiberi, eisque sigillum, & clauem tradi consuetum fuerit: huiusmodi consuetudo (dummodo Prior similem aliam clauem apud se reseruet) obseruari poterit.

Fratres depositis candelis Chorum ascendentes Vesperas legent. Interim Sacrista Monumentum ornet: Sacerdos vero, & ministri accedentes ad Altare Officij, similiter Vesperas legent, & postea idem Altare, & alia quæque (vt in Missali notatur) denudabunt.

De Mandato Feriæ quintæ in Cœna Domini. §. 4.

HAc die (prima, vel secunda post meridiem hora) *Fratres ad Officium Mandati Tabularum pulsatione vocati, in Sacristia conueniant, præparatisq. sedibus, peluibus, tobaleis, ac effusorijs vasibus, & ceteris ad lotionem pedum necessarijs, in forma Processionis, præcedentibus iunioribus, insequente Prælato, alba Stola, & Pluuiali violacei coloris induto, inter ministros dalmaticis albi coloris ornatos, Diacono a dextris Missale pectori propensum deferente, Subdiaconoque a sinistris assistente, Thuriferario cum thuribulo, Acolythisq. cum cereis præeuntibus, ad destinatum locum silenter, & modeste, nudis pedibus, & capito cooperto procedant: ad quem postquam peruentum fuerit, Fratres suum*

suũ per ordinem locum tenentes (Thuriferario, & Acolythis in medio existentibus) diuisi per Choros in forma Processionis, stent versa ad inuicem facie.

Post aliquantulum vero temporis silentibus omnibus, duo ministri simul cum Thuriferario ante Sacerdotem (facta eidem reuerentia) accedunt. Deinde Diaconus Subdiacono librum tribuit, accipiensque nauicellam a Thuriferario, petit benedictionem incensi a Sacerdote, qui illud benedicit, & imponit more solito.

Post hæc statim Diaconus reddit Thuriferario nauicellam, & accipiens librum a Subdiacono, genuflexus postulat benedictionem pro Euangelio, qua accepta, osculataque Sacerdotis manu surgens, comitante Subdiacono, Acolythisq. & Thuriferario præeuntibus, accedit ad facistorium mappa albi coloris serica coopertum, ibique consuetis cæremonijs obseruatis, cantat Euangelium, Ante diem festum Paschæ, &c.

Quo finito redeunt ad Sacerdotem, cui Subdiaconus offert librum osculandum, Diaconus vero prædictum Sacerdotem thurificat. Deinde Acolythi extinctis cereis, & Thuriferarius amoto thuribulo, extrahunt Pluuiale Sacerdoti, & ministris similiter dalmaticas.

His peractis ministri Sacerdotem ad renes linteamine lineo circumcingunt, qui incipientibus Cantoribus, & Choro prosequente Antiph. Mandatum, &c. *incipit lotionem pedum a Chori dextri capite, in hunc modum.*

Sacerdos cum duobus ministris ante vnumquemque Fratrem genuflexus, Diacono Fratris pedes tenente, Subdiaconoque ex vase in peluim aquam infundẽte, omnium per ordinem Fratrum pedes lauat, tergit, & osculatur, ministrantibus Acolythis, & Thuriferario tepidam aquam, ac tobaleas, & aquam sordibus defœdatam in aliam peluim (quæ iuxta præparata erit) effundẽtibus.

Dum celebratur lauatorium (sedentibus Fratribus) Versus, & Antiph. sequentes decantantur, ita vt Conuentus Antiph. Cantorès vero Versus dicant, vt infra annotatur.

Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, dicit Dominus.

Psal. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. *Et repetitur immediate. Antiph.* Mandatum nouum. *Et sic aliæ Antiph. quæ habent Psalmos, vel versus, repetuntur. Et de quolibet Psalmo dicitur tantum primus versus.*

Antiph. Postquam surrexit Dominus a cœna, misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorum suorum: hoc exemplum reliquit eis.

Psal. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.

Antiph. Dominus Iesus, postquam cœnauit cum Discipulis suis, lauit pedes eorum, & ait illis: scitis quid fecerim vobis ego Dominus, & magister? exemplum dedi vobis: vt & vos ita faciatis.

Psal. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.

Antiph. Domine tu mihi lauas pedes? respondit Iesus, & dixit ei: si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. ℣. Venit ergo ad Simonem

nem

nem Petrum,& dixit ei Petrus. *Et repetitur Antiph.* Domine, tu mihi lauas pedes? respondit Iesus,& dixit ei: si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. ℣. Quod ego facio, tu nescis modo: scies autem postea. *Tertio repetitur Antiph.* Domine,tu mihi lauas pedes? respondit Iesus, & dixit ei: si non lauero tibi pedes,non habebis partem mecum. ℣. Si ego Dominus, & magister vester laui vobis pedes: quanto magis debetis alter alterius lauare pedes?

Psal. Audite hæc omnes gentes:auribus percipite qui habitatis orbem.

Antiph. In hoc cognoscent omnes, quid discipuli mei estis: si dilectionem habueritis adinuicem. ℣. Dixit Iesus discipulis suis.

Antiph. Maneant in vobis fides,spes, charitas, tria hæc.maior autem horum est charitas. ℣. Nunc autem manent,fides,spes,charitas:tria hæc: maior horum est charitas.

Antiph. Benedicta sit sancta Trinitas, atque indiuisa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. ℣. Benedicamus Patrem,& Filium,cum sancto Spiritu.

Psal. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit,& deficit anima mea in atria Domini.

Antiph. Vbi charitas, & amor, Deus ibi est. ℣. Congregauit nos in vnum Christi amor. ℣. Exultemus, & in ipso iucundemur. ℣. Timeamus, & amemus Deum viuum. ℣. Et ex corde diligamus nos sincero. *Et repetitur Antiph.* Vbi charitas & amor, Deus ibi est. ℣. Simul ergo cum in vnum congregamur. ℣. Ne nos mente diuidamur,caueamus. ℣. Cessent iurgia maligna,cessent lites. ℣. Et in medio nostri sit Christus Deus. *Et repetitur Antiph.* Vbi charitas & amor, Deus ibi est. ℣. Simul quoque cum beatis videamus. ℣. Glorianter vultum tuum,Christe Deus. ℣. Gaudium quod est immensum, atque probum. ℣. Sæcula per infinita sæculorum. Amen.

*Completo lauatorio, ministri (neque enim eorundem pedes lauandi sunt) extrahunt linteamen Sacerdoti,impositoque eidem Pluuiali, dalmaticas, quibus ante lotionem vsi fuerant,reaccipiunt. Celebrans medius inter ministros accedit ad faciStorium, Acolythis cum cereis accensis ad prædicti faciStorij terga stantibus, & post eiusdem Antiphonę, seu Versus, qui tunc decantabitur, consummationem,alta voce dicit.*Pater noster, *quem omnes inclinati profunde sub silentio prosequuntur: quibus ad,*Et ne nos inducas in tentationem*(quod alta voce ab eodem pronunciabitur)erectis,& ad Altare conuersis,Versus sequentes, & Orationem, omnibus ad eandem inclinatis, prosequatur.*

Vers. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Tu mandasti mandata tua Domine. ℟. Custodiri nimis. ℣. Tu lauasti pedes Discipulorum tuorum. ℟. Opera manuum tuarum Domine ne despicias. ℣. Domine exaudi,&c. ℟. Et clamor meus,&c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

ADesto Domine,quæsumus officio seruitutis nostræ, & quia tu Discipulis tuis pedes lauare dignatus es,ne despicias opera manuum tuarũ,

quæ

quæ nobis retinenda mandasti, vt sicut hic nobis, & à nobis exteriora abluuntur inquinamenta, sic à te omnium nostrum interiora lauentur peccata: quod ipse præstare digneris, qui viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quod si concio ad populum habenda est, statim concionator (nisi fuerit ipsemet Celebrãs) benedictionem postulat, & accipit. Deinde Celebrans simul, & ministri in Sacristia sacris se vestibus exuunt, ceteris ad Chorum conuenientibus, vel illic (si Priori videbitur) ad concionem audiendam remanentibus.

De officio Crucis in die Parasceues. §. 5.

FEria Sexta *in Parasceue, dum post Passionem dicuntur orationes pro Ecclesiæ statibus, Sacrista affert ad Altare officij, Crucem cum imagine Crucifixi, velo sericeo nigri coloris coopertam, quę mensuram vnius vlnę, vel circa (prout facilius inueniri poterit) adimplebit. Præterea infra gradus Monumenti, vel ante gradus altaris tapetem cum sericeis puluinaribus eiusdem coloris pręparabit.*

Sacerdos, finitis Orationibus, casulã exuit, ministris similiter dalmaticas deponẽtibus: et stans à parte posteriori Altaris, hoc est in angulo eiusdẽ Altaris iuxta Credẽtiã, accipit à ministris Crucẽ reuerenter. Interim Fratres nudis pedibus, in cappis processionaliter per Ecclesiam, *vel in Choro (si ita dispositus fuerit, vt facile, & opportune adorationi possint interesse) prout commodius erit, distendantur.*

Sacerdos, verso ad populum vultu, Crucem in manibus aliquantulum eleuatam tenens, eandemque à titulo vsque ad brachia denudans, ipse solus voce, & tono mediocri cantat, Ecce lignum Crucis: *Deinde duo ministri simul cum eo prosequuntur:* In quo salus mundi pependit: *quo completo, Fratres omnes (excepto Celebrante) se prosternentes eodem tono respondent.* Venite adoremus.

Sacerdos procedit vlterius, stansque ad partem interiorem cornu Epistolæ medius inter ministros, denudans mediam Crucem, eamque paulo sublimius eleuans, altiori voce cantat, vt prius, Ecce lignum Crucis, *ministris simul prosequentibus,* In quo salus mundi pependit, *Choroque cum prostratione respondente,* Venite adoremus.

Postremo vsque ad medium Altaris progreditur, vbi totam Crucem denudans, eamque superius exaltans, sublimius solito voce eleuata dicit, Ecce lignum Crucis: *ministris simul prosequentibus*, In quo salus mundi pependit, *Choroque cum prædicta prostratione respondente*, Venite adoremus.

Post denudatam hanc Crucem omnes aliæ Cruces nudantur.

His peractis Celebrans imponit Crucem puluinaribus infra gradus Monumenti præparatis, vel Altaris: & depositis calceis eandem iunctis ad pectus manibus reuerenter, humiliter, & spatiose ter genuflectens adorat. Deinde ad Crucem accedens, eam osculatur, & surgens (alia facta genuflexione, vel humiliatione, si non fuerit ante monumentum) redit ad Altare, vbi calceos, casulamque induit.

Postea duo simul ministri eodem modo adorant. Deinde Acolythi vna cum Thu-

Thuriferario, quos sequitur omnis Conuentus Fratrũ, incipiendo à senioribus, bini, & bini, tribus pręmissis genuflexionibus, vniformiter accedentes.

Si duo sunt, qui ad adorationem accedunt, osculetur primo, qui à dexteris est, deinde qui à sinistris. Si vero tres accesserint (nequaquam enim vnus accedere solus debet) medium tenens locum osculabitur primo, deinde qui à dextris, postremo qui a sinistris est. Cumque omnes Fratres Crucem adorauerint, si qui aderunt sæculares, ad adorandum accedent.

Dum adoratio fit, improperia cum ceteris infrapositis, vel quæ ex eis (ab eo tempore, quo Celebrans primus omnium Crucem adorauerit, vsque ad vltimo accedentium sæcularium adorationem expletam) sufficere visa fuerint, modo infraposito decantabuntur.

Duo Fratres, videlicet Cantor, & Succentor, vel quilibet alij, quos Supprior designauerit à Choro dextro in medium progredientes cantant Versus, Popule meus quid feci tibi, &c. *Et* Quia eduxi te de terra Aegypti: *quibus in medio remanentibus, vterque Chorus (incipiente dextro) cantat alternatim,* Hagios, &c. *cum reliquis, vt infra annotantur.*

Deinde exeuntes similiter de Choro sinistro in medium Cantor, & Succen*tor cantant Versum,* Quia eduxi te per desertum, &c. *quo finito simul remanent cum duobus qui egressi sunt a Choro dextro, repetiturque (vt prius) per Choros alternatim* Hagios, &c.

Postea duo Fratres de Choro dextro, videlicet duo primi Cantores ex quatuor, qui in medio existunt, dicunt alium Versum: quo finito Conuentus respondet, Popule meus &c. *Et hoc ordine quatuor Cantores existentes in medio prosequuntur omnes Versus alternatim, vnumquemque Versum bini, & bini vicissim decantantes vtroque Choro post cuiusque Versus finem repetente,* Popule meus, &c. *Vbi vero quatuor prædictis in medium exeundi ob loci angustiam, & incapacitatem haud facile facultas fuerit, suis proprijs locis stantes modo, & ordine prædicto, huiusmodi Versus decantabunt.*

Duo de Choro dextro.	Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristaui te? Responde mihi.
	Vers. Quia eduxi te de terra Ægypti: parasti crucem Saluatori tuo.
Chorus dext.	Hagios ò Theos.
Chorus sinist.	Sanctus Deus.
Chorus dext.	Hagios ischiros.
Chorus sinist.	Sanctus fortis.
Chorus dext.	Hagios athanatos eleison himas.
Chorus sinist.	Sanctus immortalis miserere nobis.
Duo de Choro sinistro.	*Vers.* Quia eduxi te per desertum quadraginta annis: & Manna cibaui te, & introduxi te in terram satis bonam, parasti crucem Saluatori tuo.
Chorus dext.	Hagios ò Theos,
Chorus sinist.	Sanctus Deus.
Chorus dext.	Hagios ò Ischiros.

Chorus

Chorus sinist.	Sanctus fortis.
Chorus dext.	Hagios Athanatos Eleison himas.
Chorus sinist.	Sanctus immortalis miserere nobis.
Duo de Choro dextro.	*Vers.* Quid vltra debui facere, & non feci? Ego quidem plantaui te vineam meam speciosissimam: & tu facta es mihi nimis amara: aceto namque sitim meam potasti, & lancea perforasti latus Saluatori tuo.
Chorus dext.	Hagios ò Theos.
Chorus sinist.	Sanctus Deus.
Chorus dext.	Hagios ò Ischiros.
Chorus sinist.	Sanctus fortis.
Chorus dext.	Hagios Athanatos Eleison himas.
Chorus sinist.	Sanctus immortalis miserere nobis.
Duo de Choro sinistro.	*Vers.* Ego propter te flagellaui Aegyptum cum primogenitis suis: & tu me flagellatum tradidisti.
Totus Chorus	Popule meus quid feci tibi? aut in quo contristaui te? Responde mihi.
Duo de Choro dextro.	*Vers.* Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in mare rubrum: & tu me tradidisti principibus Sacerdotum.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro sinistro.	*Vers.* Ego ante te aperui mare: & tu aperuisti lancea latus meum.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro dextro.	*Vers.* Ego ante te præiui in columna nubis: & tu me duxisti ad prætorium Pilati.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro sinistro.	*Vers.* Ego te paui Manna per desertum: & tu me cecidisti alapis, & flagellis.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro dextro.	*Vers.* Ego te potaui aqua salutis de petra: & tu me potasti felle, & aceto.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro sinistro.	*Vers.* Ego propter te Chananæorum Reges percussi: & tu percussisti arundine caput meum.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro dextro.	*Vers.* Ego dedi tibi sceptrum regale: & tu dedisti capiti meo spineam coronam.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.
Duo de Choro sinistro.	*Vers.* Ego te exaltaui magna virtute: & tu me suspendisti in patibulo Crucis.
Chorus Rep.	Popule meus, &c.

Deinde omnes quatuor simul, vtroque Choro prosequente, incipiunt Antiph. Crucem tuam, &c. *qua finita, dimidium Versum cantant ad modum Introitus; Chorusque eundem Versum vsque in finem prosequitur: & repetit Antiph.*

post eum, & Cantores ad sua loca reuertuntur.

Antiph. Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam Resurrectionem tuam laudamus, & glorificamus: Ecce enim propter lignum venit gaudium in vniuerso mundo. ℣. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. *Repetitur*, Crucem, &c. *Deinde vsque ad finem adorationis cantantur communiter Versus Hymnorum:* Pangue lingua. *Et* Lustris sex *cum repetitione Versuum*, Crux fidelis. *&* Dulce lignum, *modo infra notato.*

Vers. Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis, nulla silua talem profert, fronde, flore, germine.

Vers. Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinet.

HYMNVS.

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis:
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
Vers. Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla silua talem profert.
Fronde, flore, germine.
De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens:
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit:
Ipse lignum tunc notauit,
Damna ligni vt solueret.
Vers. Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus sustinet.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat:
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret:
Et medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat.
Vers. Crux fidelis, &c.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis:
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis conditor:
Atque ventre virginali
Caro factus prodijt.
Vers. Dulce lignum, &c.
Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat:
Et manus, pedesque, & crura
Stricta cingit fascia.
Vers. Crux fidelis inter omnes, &c.
Lustris sex qui iam peractis,
Tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc
Passioni deditus
Agnus in Cruce leuatur,
Immolandus stipite.
Vers. Dulce lignum, dulces, &c.
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur,
Sanguis vnda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lauantur flumine.
Vers. Crux fidelis inter omnes, &c,
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera:
Et rigor lentescat ille
Quem dedit natiuitas:
Vt superni membra Regis
Miti tendas stipite.
Vers. Dulce lignum, dulces, &c.
Sola digna tu fuisti
Ferre sæcli pretium,

Atque

Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago:
Quem sacer cruor perunxit
Fusus Agni corpore.
Vers. Crux fidelis inter omnes, &c.
Gloria, & honor Deo
Vsquequaque altissimo:
Vna Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito,
Cui laus est, & potestas
Per æterna sæcula.
Amen.

Prope finem adorationis Acolythi accendunt candelas Altaris, quæ hucusq. extinctæ fuerant: Diaconus vero explicat corporale supra Aram: completaque adoratione, accedens ad puluinaria, eleuat Crucem reuerenter, & reportat eam ad Altare officij.

Processio Feriæ sextæ in Parasceue, quando reportatur Sacramentum de Monumento ad Altare. §. 6.

ADoratione expleta, Sacrista candelas ante Monumentum accensas, tam Fratribus, quam sæcularibus adstantibus distribui curat. Supprior vero, vel alius quilibet Frater ex senioribus, baldachinum dignioribus Fratrum, vel sæcularium (si adsint) commendat: & demum reliqua necessaria præparantur.

Sacerdos ministris comitatus processionaliter accedẽs ad locũ, vbi Sacramentũ reseruatur, per aliquod breue tẽporis spatiũ cum eisdẽ genuflexus orat: Diaconus surgens reserat Arcam, seu Tabernaculum, iterumq. genuflexus offert nauiculã incensi Celebranti, qui sine benedictione stans imponit thus in duobus Thuribulis, & iterum genuflectit, & incensat Sacramentum. Postea deposito thuribulo, Subdiaconus mappam sericeam imponit collo Sacerdotis: Diaconus vero extrahit Calicem cum Sacramento, traditque similiter Celebranti, cooperiens Calicem extremitatibus mappæ, ex prædicti Sacerdotis humeris dependentibus.

His peractis Sacerdos vna cum ministris descendit sub baldachino; & incipientibus Cantoribus Hymnum, Vexilla Regis, *ordinatur Processio (in qua Subdiaconus aliquis paratus deferet Crucem discoopertam) per Ecclesiam vsque ad Altare.*

HYMNVS

VExilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium:
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceæ:
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda & sanguine.
Impleta sunt quæ concinit
Dauid fideli carmine:
Dicens, in nationibus
Regnauit a ligno Deus.
Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura:
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cuius brachijs
Sæcli pependit pretium:
Statera facta corporis,
Prædamq. tulit Tartari.

O Crux aue spes vnica
Hoc passionis tempore:
Auge pijs iustitiam,
Reisque dona veniam.

Te summa Deus Trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quos per Crucis mysterium
Saluas, rege per sæcula. Amen.

Cum peruentum fuerit ad Altare, Fratres in Ecclesia remanentes, vel (si opportunius putabitur) Chorum ascendentes, ibidem accensis candelis, & flexis genibus vsque ad Missæ finem permanebunt. Sacerdos vero obseruabit ea quæ in Missali posita sunt.

De benedictione noui ignis, & incensi, & Processione in vigilia Paschæ. §. 7.

HAc die Sacrista, dum legitur in Choro Nona, vel antea, excutiens ignem ex silice, extra Ecclesiam accendit candelam, & carbones ab ipso, remanetque ibidem vsque dum Conuentus prodeat ad benedictionem. In Altari ponet Sacrista duo pallia, album vnum, violaceum alterum, amouendum post Litanias.

Dicta Nona, Fratres progrediuntur a Sacristia processionaliter in hac forma.

Præcedit Thuriferarius cum thuribulo absque prunis; sequuntur Acolythi sine cereis: deinde Conuentus per ordinem: vltimo procedit Sacerdos Pluuiali violaceo indutus, medius inter ministros, scilicet inter Diaconum dalmatica alba amictum, Subdiaconumque in albis cum Manipula violacei coloris.

Cum ventum fuerit ad præparatum benedictionis locum, dispositis Fratribus in forma Processionis iuxta loci capacitatem, Diaconus imponit facistorio librum; Sacerdos vero, verso ad Altare vultu, incipit benedictionem ignis noui in hac forma.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus qui per Filium, &c. *Responsio.* Amen. *benedicit quinque incensi grana in hunc modum.* Oremus. Veniat quæsumus, &c. *vt in Missali.*

Dum benedicitur incensum, Thuriferarius accipiens aliquas ex prunis benedictis imponit thuribulo.

Finita benedictione thuris, Sacerdos aspergit aqua benedicta ignem nouum, & incensum, ponensque ex ipso in thuribulo incensat prædictum ignem, & thus benedictum; & interim extinguuntur lucernæ omnes (si quæ sunt accensæ) præter candelam quæ ex igne nouo succensa est.

Deinde Diaconus accipiens arundinem trium candelarum, Subdiaconus vero Crucem portans, altero ex Acolythis lancem cum quinque granis incensi, altero vero accensam ex igne nouo candelam deferentibus, Ecclesiam hoc ordine ingrediuntur.

Præcedit Thuriferarius, deinde Acolythi, postea Subdiaconus, quem Conuentus processionaliter insequitur: postea Diaconus: vltimo vero Celebrans procedit.

Dia-

Diaconus ad ingressum Ecclesiæ inclinat arundinem, Acolythus vero, qui accensam igneis noui candelam defert, accedens ad eum, vnam ex tribus candelis arundinis accendit. Statim Diaconus simul cum ceteris omnibus genuflectens, eleuata arundine solus cantat, Lumen Christi, *Chorusque respondet,* Deo gratias.

Deinde surgunt omnes, ac vlterius progrediuntur; Diaconus ad medium Ecclesiæ perueniens, supradicto modo arundinem secundo inclinat, aliaque ex candelis ab Acolytho accensa, genuflexis omnibus vt supra, ipse simul genuflectens, ac eleuans arundinem, altiori voce repetit, Lumen Christi, *cui Conuentus respondet,* Deo gratias.

Postea surgentes accedunt prope Altare, vbi eodem modo accensa ab Acolytho tertia candela genuflexis omnibus, arundinem, & vocem eleuans sublimius solito dicit tertio, Lumen Christi, *respondentesque reliqui eodem modo,* Deo gratias, *surgunt: & Conuentu Chorum ascendente, Sacerdos cum ministris Altaris ibidem pro Paschalis cerei benedictione remanet.*

DE RECEPTIONIBVS PRAELATORVM, & aliarum personarum. Cap. III.

De Receptione Reuerendi admodum Patris Nostri Præpositi generalis. §. 1.

CVm Reuerendissimum Priorem Generalem nostræ Congregationis ad nostros Conuentus (prima post eius electionem vice) venire contingerit: illum Fratres vt communem Patrem venerantes, solemniter recipere debent.

Appropinquante igitur eius aduentu congregentur, & ei obuiam per aliquod extra Monasterium modicum spatium (iuxta quod, de consilio prudentiorum Fratrum, Priori Conuentus videbitur expedire) in forma Processionis occurrent. In cuius receptione hic ordo seruabitur.

Præcedunt duo Fratres, quorum alter vrceum aquæ benedictæ, alter vero thuribulum deferet. Insequitur Cruciferarius medius inter Acolythos accensos cereos portantes. Prædicti autem quinque Fratres cottis, vel rochettis induti esse debent. Deinde Conuentus præcedentibus iunioribus ordine consueto. Vltimo procedit Sacerdos (qui erit ex dignioribus Fratrũ) Pluuiali indutus inter ministros, Albis, & dalmaticis ornatos: Subdiacono librum officij, Diacono vero Crucem paruulam pretiosam deferentibus.

Cum peruentum fuerit ad locum, vbi sistere debet Processio, Cruciferario, & Acolythis sistentibus, reliqui omnes progrediuntur, ac iunioribus vicinius Monasterio in principio Processionis statim post Crucem, & Ceroferarios remanentibus, seniores distantius ab ipsius Monasterij loco, in calce consistant Processionis.

Hic autem ordo in quibusque Processionibus pro cuiusuis personæ receptione sa-

faciendis, dummodo extra Monasterium exeundum sit (nisi aliud expresse annotetur) seruandus est.

Cum iam prope accesserit Reuerend. P. Praepositus, Prior Conuentus cum tribus, vel quatuor dignioribus Fratrum per aliquod competens spatium obuiabit ei; quem reuerenter recipientes, vsque ad Processionis locum a dextris, & sinistris, comitabuntur.

Interim Cruciferarius, & Acolythi (ceteris Fratribus in suis locis remanentibus) veniunt per medium Processionis vsque ad Sacerdotem.

Reuer. admodũ Praeposito proxime accedente, campanae pulsantur; & Cantores incipiunt Responsorium infra positum; & Sacerdos tribuit ei asperforium, quo se simul, & circumstantes aspergit. Deinde praedictus Sacerdos benedicit, imponitque incensum, & thurificat Reuerendum Patrem: postea accipiens Crucem paruulam offert eidem osculandam.

His peractis, Cruciferarius vna cum Acolythis redit ad locum, vbi prius; & mouetur Processio vsq; ad maiorem Capellam.

Vers. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

* Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. ℣. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. * Ideo iureiurando, &c. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. * Ideo, &c.

Postea cantetur Hymnus, Te Deum laudamus, *vt sup. §. 4. cap. 1. fol. 13.*

Cum peruentum fuerit ad maiorem Capellam, Reuerendus Pater iuxta maioris Altaris grad⁹ (vbi à Sacrista sericea puluinaria nigri, vel alius honesti coloris supra tapetem erunt praeparata) per aliquod breue spatium orabit. Deinde cessante cantu communi, Sacerdos Versus, & Orationes sequentes decantet.

Vers. Saluum fac seruum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Ora pro eo sancta Dei Genitrix. ℟. Vt dignus efficiatur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: praetende super famulum tuum Patrem nostrum, & super cunctam Congregationẽ, illi commissam, spiritum gratiae salutaris; & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde.

PRotege Domine famulum tuum subsidijs pacis, & Beatae Mariae semper Virginis patrocinijs confidentem, a cunctis hostibus redde securum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Prior Conuentus accedens oret praedictum Patrem, vt surgens Fratribus suam impartiri dignetur benedictionem. Quo annuente Fratres omnes per ordinem (incipiendo a senioribus) bini, & bini accedentes, osculentur ei sedenti manum, & Ecclesiam egrediantur. Aliqui vero ex senioribus, & dignioribus Fratribus remaneant cum Priore Conuentus, vt praedictum Reuerendum Patrem vsque ad hospitij locum comitentur.

Modus

Modus præstandi obsequium obedientiæ Reuerendo admodum Patri Nostro Præposito Generali recenter electo. §. 2.

CVm R. Pater Noster Præpositus Generalis fuerit electus, deducatur in Ecclesiã, vel Chorum cum Hymno, Te Deum, &c. eritque ante Altare maius præparatum reclinatorium cum tapete, supra quod genuflectit ipse Pater, ceteris stantibus in Choros diuisis vsque ad finem Hymni: quo dicto dicit Cantor, Kyrie eleison. Et qui præerat electioni, vel qui confirmauit, subiunget, Pater noster. Et ne nos inducas, &c. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eo, ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Ora pro eo sancta Dei Genitrix. ℟. Vt dignus efficiatur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum, &c. Oremus.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

PRætende Domine famulo tuo dexterã cælestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus: prætende super famulum tuum, & super cunctam Congregationem illi commissam spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

PRotege Domine famulum tuum subsidijs pacis, & B. Mariæ semper Virginis patrocinijs confidentem a cunctis hostibus redde securum. Per Christum, &c.

Tunc sedeat in loco sibi ante Altare parato decenter, & Fratres singuli ad eum accedentes genibus flexis manus ei osculentur humiliter, & deuote.

De receptione Prouincialis, Visitatorum, ac Priorum Conuentualium. §. 3.

CVm R. Pater Prouincialis prima vice post eius electionem, vel post diuturnam absentiam ad visitandum Conuentum suæ prouinciæ venerit, magna & animi humilitate, & externa simul reuerentia recipi debet: ideo si eius aduentus præsciatur, Fratres omnes cappis albis induti per Choros diuisi eum in Choro, vel Sacristia, alioue commodiori loco genuflexi expectabũt; ad quem cum prædictus R. P. peruenerit, orabit aliquantulum in loco ante sanctiss. Eucharistiam vel Altare præparatum: tum Prior, vel Præses Conuentus genuflexus accedens offert ei aspergulum cum deosculatione asperguli, & manus; prædictusq. R. P. Prouincialis surgens aspergit prius se, deinde Priorem, postea omnes Fratres,

tres: redditoque aspergulo Priori, sedebit in sede, vel a latere Altaris, vel alio commodiori loco præparata, & omnes Fratres accedent ad osculandum eius manus bini, & bini, incipiendo a senioribus, quos omnes benigne recipiet. Postea Prior Conuentus, & aliqui ex senioribus eum ad hospitij locum comitantur, ceteris ad sua munera abeuntibus.

Eodem modo recipietur Visitator in Conuentu, quem visitaturus est, licet non sit Prouincialis.

Priori autem Conuentuali nulla ad ingressum receptio solemnis fiet, sed cum primum expediri videbitur, vel in eius cella, vel in loco recreationis omnes benigne amplexabitur. Postquam autem per vnum, vel alterum diem, aut plures ad eius libitum a labore itineris fuerit recreatus, mane hora solita conuocabit Capitulum, ad quod omnes cum cappis albis conuenient; factaque exbortatione more solito, ostendet sui officij litteras patentes, quas aliquis ex antiquioribus Patribus omnibus stantibus (præter Priorem) clare leget, deinde sedent, & bini, & bini, incipientibus senioribus accedunt ad osculandam Prioris manum, qui omnes benigne suscipiet, & amplexabitur, sedens tamen; deinde dato signo (si in Chorum eundum sit) incipit Cantor Psal. consuetum, & more solito egrediuntur, alioquin incipiente Priore in cellas recedunt, & non fit recommendatio consueta pro benefactoribus. Si vero in Conuentu fuerit Prior cum eligitur, cum ei visum fuerit conuocabit Capitulum, vt supra; quod similiter fiet, etiamsi confirmetur.

Suppriori vero, licet nullum simile obedientiæ obsequium præstetur, tamen siue de nouo venerit, siue in Conuentu sit, cum scitur eius electio, in recreationis loco, vel in cella, vbi ad libitum Prioris conuenerint omnes, reuerenter eum amplexabuntur. In Capitulo vero, licet litteræ patentes Supprioris ibi legantur, nulla ei cæremonia fit, sed solum tam ipse Supprior, quam omnes stabunt dum leguntur litteræ. Quod est commune, quoties aliquæ litteræ Præpositi, vel Superioris in Capitulo leguntur; quas semper legat Sacerdos aliquis ex antiquioribus.

De Receptione Summi Pontificis. §. 4.

SI Summum Pontificẽ ad aliquem Conuentum nostræ Congregationis venire contigerit, ordine supra in. §. 1. annotato recipiendus est, & sequens Responsorium decantabitur.

Resp. Tu es pastor ouium, Princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus omnia Regna mundi * Et ideo tibi traditæ sunt claues Regni cælorum. ℣. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. * Et ideo, &c. *Statim cantatur Hymnus sequens.*

HYMNVS.

QVodcumque vinclis super terram strinxeris,
Erit in astris religatum fortiter:
Et quod resoluis in terris arbitrio,
Erit solutum super cæli radium:
In fine mundi iudex eris sæculi.
Gloria Deo per immensa sæcula
Sit tibi Nate decus, & imperium,

Ho-

Honor, poteſtas, ſanctoq. Spiritui
Sit Trinitati ſalus indiuidua.
Per infinita ſæculorum ſæcula.
Amen.

Dum orat Summus Pontifex, Verſicularij dicunt ℣. Exaltent eum in Ecclesia plebis. ℟. Et in Cathedra ſeniorum laudent eum. *Sacerdos.*

Oremus.

DEus omnium fidelium paſtor, & rector, famulum tuum. N. Pontificem noſtrum, quem paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice: da ei quæſumus, verbo, & exemplo, quibus præeſt, proficere, vt ad vitam vna cum grege ſibi credito perueniat ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

In huiuſmodi Pontificis receptione, omnia quæ agenda ſunt, de conſilio, & diſpoſitione Capellani eiuſdem Pontificis fieri oportet: quod etiam in aliorum Prælatorum receptione (ſi ſpeciales ad hoc habeant cærimonias) obſeruabitur.

De Receptione Prælatorum Eccleſiaſticorum.

§. 5.

S*I fuerit Legatus, vel Cardinalis, qui recipiendus eſt, ſequens Reſponſorium decantabitur.*

Reſp. Ciues Apoſtolorum, & domeſtici Dei aduenerunt hodie, portantes facem, & illuminantes patriam.* Dare pacem gentibus, & liberare populum Domini. ℣. Audite preces ſupplicum, vitæ æternæ poſcentes præmia, qui fertis in dextris manipulos iuſtitiæ, quique gaudentes aduenistis hodie.* Dare pacem, &c. ℣. Gloria Patri, &c.* Dare, &c. *Si vero fuerit Archiepiſcopus, vel Epiſcopus Diœceſanus, prædicti Reſponſorij loco decantabitur Reſponſorium,* Ecce Sacerdos Magnus, *vt ſupra.* §. 1. *fol.* 38.

Finito Reſponſorio cantatur Pſal. Laudate Dominum omnes gentes, *vel Pſal.* Memento Domine Dauid, *vt infra cap.* 6. De ſepultura Fratrum, *in Funerali, ſeu aliqua Antiph. ſecundum temporis, & Prioris diſpoſitionem.*

Cum peruentum fuerit ad maiorem Capellam genuflectet ante præparatum faciſtorium, ſericeis pannis coloris competentis, ſecundum dignitatem eius, qui recipitur, & temporis diuerſitatem ornatum. Deinde Sacerdos accipiens reuerenter Crucem paruulam, quæ erit ſupra faciſtorium, eam Prælato, qui recipitur, porrigit oſculandam. Poſtquam vero prædictus Prælatus aliquantulum orauerit, Sacerdos dicit Verſus, & Orationes ſupra in. §. 1. *annotatas, & reliqua omnia, vt in prædicto Paragrapho notantur, mutatis mutandis ſecundum diuerſas temporum, & perſonarum circumſtantias peragentur.*

De Receptione Imperatoris, ſeu Regis. §. 6.

C*Vm Imperator, vel Rex ſolemniter recipiendus fuerit, Conuentus proceſſionaliter in forma prænotata in.* §. 1. *fol.* 37. *vſque ad portam, per quam eſt ingreſſurus, vel vlterius (prout expedire videbitur) progrediatur: in cuius receptione ſequens Reſponſorium decantabitur.*

F Reſp.

Resp. Rex magnus ego ſum,dicit Dominus,& nomen meum horribile in gentibus. Quis non timebit te, ô Rex gentium? Tuum eſt enim decus: inter cunctos ſapientes, & in vniuerſis Regnis eorum nullus eſt ſimilis tui Domine. Magnus es tu,& magnum nomen tuum. * Qui facis terram in fortitudine tua,præparas orbem in ſapientia tua, & prudentia tua extendis cælos. ℣. Domine Deus meus,tu ipſe es Deus viuens,& Rex ſempiternus:ab indignatione tua commouebitur terra, & non ſuſtinebunt gentes comminationem oris tui. * Qui facis,&c. ℣. Gloria Patri,&c. * Qui facis, &c.

Statim poterit decantari Psal. ſequens, vel Psal. Deus iudicium tuum Regi da, *vt infra §.8. De receptione Principis.*

PSALMVS 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis:protegat te nomen Dei Iacob.
Mittat tibi auxilium de ſancto:& de Sion tueatur te.
Memor ſit omnis ſacrificij tui:& holocauſtum tuum pingue fiat.
Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.
Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur.
Impleat Dominus omnes petitiones tuas:nunc cognoui quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.
Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.
Hi in curribus,& hi in equis:nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.
Ipſi obligati ſunt,& ceciderunt: nos autem ſurreximus,& erecti ſumus.
Domine ſaluum fac Regem:& exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.
Gloria Patri,& Filio,&c.

Perueniente Imperatore, ſeu Rege ad faciſtorium, quod ante gradus maioris Altaris(Cruce paruula ſuperpoſita) præparabitur, Sacerdos accipiens prædictam Crucem, eam Imperatori,vel Regi porrigit reuerenter oſculandam. Poſtquã vero qui recipitur aliquantulũ orauerit,Verſicularij dicunt. ℣. Ora pro eo ſancta Dei Genitrix. ℟. Vt dignus efficiatur promiſſionibus Chriſti. *Et Sacerdos Verſus & Orationes ſequentes.*

Verſ. Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum. ℟. Præ Regibus terræ. ℣. Saluum fac Regem(*vel Imperatorem*)noſtrum. N. ℟. Et rege eum,& extolle illum vſque in ſempiternum. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus,cui omnis poteſtas, & dignitas famulatur, da huic famulo tuo Regi, *vel Imperatori* noſtro N. proſperum ſuæ dignitatis effectum, vt te ſemper timeat,tibique iugiter placere contendat.

QVæſumus omnipotens Deus,vt famulus tuus Rex(*vel Imperator*) noſter N. qui tua miſeratione ſuſcepit Regnorum gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa; quibus decenter ornatus,& vitiorum monſtra deuitare,& hoſtes ſuperare, & ad te,qui via, veritas,& vita es,gratioſus valeat peruenire. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Si Epiſcopus aliquis adſit, à Priore Conuentus, vt prædictum officium faciat,rogandus eſt.

Finitis

Finitis Orationibus, surgit Imperator, seu Rex; & Fratres omnes incipiendo à senioribus osculentur eiusdem manum.

De receptione Imperatricis, vel Reginæ. §. 7.

SI *fuerit Imperatrix, vel Regina, quæ solemni Processione recipitur, seruatis omnibus, quæ in præcedenti §. præmittuntur, infraposita decantabuntur.*

Resp. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus. * Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. ℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. * Adducentur, &c. ℣. Gloria Patri, &c. * Adducentur, &c.

Versiculary. ℣. Ora pro ea sancta Dei Genitrix. ℟. Vt digna efficiatur promissionibus Christi.

Sacerdos. ℣. Saluam fac Reginam (*vel Imperatricem*) nostram Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eam. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, ineffabilem clementiam tuam supplices exoramus, vt sicut Hester Reginā Israeliticæ plebis causa salutis, ad Regis Assueri thalamum, Regnique sui consortium transire fecisti: ita hanc famulam tuam Reginam (*vel Imperatricem*) nostram, Christianæ plebis salutis gratia, ad tuam gratiam transire facias, vt tibi super omnia placere desideret, & (te inspirante) quæ placita sunt tibi toto corde perficiat, dexteraque tuæ potentiæ illam semper hic, & vbique circumdet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

De receptione Primogeniti Imperatoris, seu Regis. §. 8.

IN *huiusmodi receptione solemni, seruatis quæ superius in §. 6. annotantur, Responsorium, & cetera, quæ hic ponuntur, decantentur.*

Resp. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini: seruiant tibi populi, & adorent te tribus. * Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. ℣. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. * Esto Dominus, &c. ℣. Gloria Patri, &c. * Esto, &c.

Psalmus 71.

DEus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio Regis.

Iudicare populum tuum in iustitia: & pauperes tuos in iudicio.

Suscipiant montes pacem populo: & colles iustitiam.

Iudicabit pauperes populi, & saluos

faciet filios pauperum:& humiliabit calumniatorem.
Et permanebit cum sole, & ante lunam: in generationem & generationem.
Descendet sicut pluuia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.
Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.
Et dominabitur à mari vsque ad mare: & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum.
Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent.
Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.
Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes seruient ei.
Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui nõ erat adiutor.
Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet.
Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.
Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.
Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.
Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.
Benedictus Dominus Deus Israel: qui facit mirabilia solus.
Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Versiculary. ℣. Ora pro eo sancta Dei Genitrix. ℟. Vt dignus efficiatur, &c. *Sacerdos.* ℣. Deus iudicium tuum Regi da. ℟. Et iustitiam tuam filio Regis. ℣. Saluum fac Principem nostrum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Famulum tuum quæsumus Domine, Principem nostrum N. tua semper protectione custodi, vt libera mente tibi deseruiat, & te protegente à malis omnibus sit securus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In receptione aliorum Principum sæcularium eadem omnino forma seruatur, & decantatur Responsorium.

Resp. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine Regnum, tu es super omnes Principes.* Nunc igitur Domine Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.
℣. Tuæ diuitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium, in manu tua virtus, & potentia. * Nunc igitur &c.

Versus tamen, & Oratio, vt in receptione Primogeniti Imperatoris, vel Regis (mutatis mutandis) dici poterunt.

DE INDVTIONE NOVITIORVM.

CAP. IIII.



VM aliquis mundo renunciare cupiens nostri sacri Ordinis habitu induendus fuerit, Magister Nouitiorum illum sæcularibus indumentis exui, ac tunica interiori (vt mos est Fratribus nostris) vestiri, depetendisque, & agendis instrui curet. Deinde pulsato cymbalo, Fratres in cappis conueniant in Ecclesia, seu Capitulo, si ibi induendus sit Nouitius; sedentibusque omnibus (ad Superioris signum) per Choros distributis, Superiore autem, qui sæcularem induere debet, stola ad collum imposita in supremo Altaris gradu ad cornu Epistolæ; Sæcularis induendus, præcedente Magistro Nouitiorum, locum prædictum ingreditur superindutus pallio, quod in sæculo portabat, capiteque tonso, & cooperto, nudis pedibus cum sandalijs tamen, quibus Fratres vtuntur, portans in manibus vestes, quibus induendus est apte accommodatas, ac plicatas, primo pallium album, tum capucium, & scapulare, deinde corrigiam, vltimo habitum; factaque prius ad medium Altaris humiliatione, simul cum Magistro ad pedes Superioris genuflectit; deinde deponens vestes ante se, super eas se prosternet, datoque signo a Superiore caput attollit, & iunctis manibus, & capite cooperto genibus flexis erit quousque induatur. Eleuato igitur capite, illum Superior interroget, dicens: Quid petis? *cui induendus respondeat;* Misericordiam Dei, Ordinis paupertatem, Fratrumque societatem. *Quo dicto Magister Nouitiorum, qui simul cũ induendo debet esse genuflexus, osculata terra surgit, & sedet suo loco inter Fratres. Tunc Superior illum insinuans prius quid postulauerit, quantaque*

taque sit huiusmodi petitio) de laboribus, & austeritate Ordinis certiorem reddat; ac de mutatione morũ, ac perseuerantia admoneat.

Finita exhortatione accedit Magister *Nouitiorum, & genuflectit cum induendo; Superiorque interroget coram omnibus: An firmiter in Religione vsque ad vitæ finem perseuerare intendat; cui ille,* Dei misericordia, & Fratrũ orationibus nisus, vtique potero, *respondebit. Tunc surgentibus omnibus (præter induendum) Superior dicat.* Deus, qui te incepit in nobis, ipse te perficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Exuensque illum sæculari, qua opertus est veste, dicat.* Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. ℟. Amen.

Deinde stantibus omnibus Fratribus, genuflexoque Nouitio induendo, Superior stans dicat.

Vers. Domine Deus virtutum conuerte nos. ℟. & ostende faciem tuam, & salui erimus. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine virtutum, supplices deprecamur clementiam tuam, vt hunc famulum tuum miserationis tuæ abundantia ab omni vetustatis ereptione expurget, & capacem sanctæ nouitatis efficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quod si maiori vti voluerit solemnitate, omissa hac Oratione, dicet tres sequentes.

Deus indulgentiæ, & misericordiarum Pater, qui seueritatem tuæ descretionis temperans, indulsisti, ne filius portet iniquitatem patris, & qui mirabili dispensatione malis bene vtens, tuæ dignationis gratiam per peccatorum ministerium frequenter largiris: quæsumus immensam clementiam tuam, vt huic famulo tuo non obsistat, quod habitum nostræ sacræ Religionis ad honorẽ Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo

dedi-

dedicatæ, per nos(tanto,ac tali ministerio indignos) hodie suscipit: sed ministerium,quod per nos exterius exhibetur,tu interius per donum sancti Spiritus exequaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Iesu Christe,æterni Patris vnigenite, qui nostræ mortalitatis tegmen in Beatæ, & intemeratæ Virginis Mariæ vtero induere, & mundum peccatis inueteratum per tuę incarnationis mysteriũ renouare dignatus es: te supplices exoramus,vt intercedente ipsa tua Genitrice Maria,huius sanctæ Religionis Patrona præcipua, hic famulus tuus in spiritu mentis suæ renouatus, veterem hominem cum actibus suis exuat, & nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus.

SAncte Spiritus,qui te Deum, ac Dominũ reuelare dignatus es mortalibus, immensam tuæ pietatis postulamus gratiam, vt sicut vbi vis spiras, sic & huic famulo tuo affectum deuotionis concedas: vt per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ,cui peculiariter in sancta Religione deuotum exhibere disposuit famulatum,eum a vanitate sæculi veraciter conuertas,& ad huius sancti propositi obseruantiam facias ita certatim feruere, quatenus iuste,& pie viuendo per veram humilitatem,obedientiam,castitatem,& abdicationem proprietatis, in fraterna charitate, constanti perseuerantia huius sancti propositi cursum valeat fæliciter cõsummare. Quod ipse præstare digneris, qui cum Patre,& Spiritu sancto viuis,& regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc statim Superior vna cum Magistro illum nostri sacri Ordinis habitu induat: tunicamque superiorem imponendo dicat.

In-

Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deũ creatus es, in iustitia, & sanctitate veritatis. In nomine Pa ✠ tris, & Filij, & Spiritus sancti. ℟. Amen. *Faciens super illum signum Crucis: quod similiter post vniuscuiusque ex reliquis Ordinis vestibus indutionem facere debet.*

Mox præcingat eum cingulo, seu zona, dicens: Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, alius te cinget. In nomine Pa ✠ tris, &c. ℟. Amen.

Imponens illi scapulare, dicat. Tolle iugum Christi suaue, & onus eius leue. In nomine Pa ✠ tris, &c. ℟. Amen. *& imponit illi Magister capucium nihil dicens.*

Vltimo imponit illi cappam, dicens. Qui sequuntur Agnum sine macula, ambulabunt cum eo in albis: ideo sint semper tua vestimenta candida in signum internæ puritatis. In nomine Pa ✠ tris, &c. ℟. Amen.

His peractis, nouiter induto genuflexo (capite aliquantulum inclinato) remanente, Superior illum aspergat aqua benedicta, extendensque manum super eum dicat.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine habitum nostræ sacræ Religionis imposuimus, bene ✠ dicere digneris; & præsta, vt te largiente deuotus in Ecclesia persistat, & vitam mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Superior cum reliquis omnibus genuflectens incipit Hymnum, Veni Creator Spiritus, &c. *quem Conuentus prosequitur, & Nouitius ducitur a Magistro infra gradus Altaris, vbi se prosternet, donec preces finiantur; Fratres vero dicto primo Versu Hymni, surgunt.*

HYM-

HYMNVS.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita:
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei altissimi:
Fons viuus, ignis, charitas
Et spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus:
Tu rite promissum Patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemq. dones protinus:
Ductore sic te præuio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium:
Te vtriusq. Spiritum
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito.
Nobisq. mittat Filius (Amē.
Charisma sancti Spiritus.

Finito Hymno *permanente adhuc* Nouitio *prostrato, Cantor tono mediocri dicat,* Kyrie eleison, *& Conuentus alternatim prosequatur,* Christe. Kyrie. *& Superior.* Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eo. ℣. Saluum fac seruum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantē in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Ora pro eo sancta Dei Genitrix. ℟. Vt dignus efficiatur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

PRotege Domine famulum tuum subsidijs pacis, & beatæ Mariæ semper Virginis patrocinijs confidentem a cunctis hostibus redde securum.

DEus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoatur, sine quo nihil boni perficitur, adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures, & hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine nostræ sacræ Religionis habitum imposuimus, ab omni mundiali vanitate, & sæculari impedimento, ac carnali desiderio defende: & concede ei propitius, vt in hoc sancto proposito deuotus persistere valeat, & remissione peccatorum percepta ad electorum tuorum consortium valeat fæliciter peruenire.

DEus qui non vis mortem peccatoris, sed per poenitentiam, emendationem vitæ semper inquiris: te suppliciter deprecamur, vt huic famulo tuo sæcularibus actibus renuncianti, largam tuæ miserationis gratiam benignus infundere digneris: quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando stadiũ vitæ præsentis percurrere valeat, vt æternæ remunerationis brauium te donante percipiat: & sicut (te Deo inspirante) nostris optat iungi consortijs (propter quod damus ei communẽ viuendi nobiscum societatem, quantum apud te possumus promereri, & nostrum est largiri) sic cũ electis tuis a te remuneratore omnium bonorum valeat repromissa præmia percipere. Per Christum D.N. ℟. Amen.

Quibus dictis aspergat illum aqua benedicta. Postea eleuetur a terra a Magistro, *& manibus iunctis ante pectus ducatur ad medium Altaris, quod genuflexus reuerẽter osculabitur.* Mox *ductus a præfato, ante Superiorem, genuflectit, osculataq. illius manu, reliquos omnes Fratres, dicens Sacerdotibus,* Ora Deũ pro me Pater, *ceteris vero,* Ora Deum pro me Frater) *deuote, & reuerenter amplexabitur.*

Qua

Quæ dum fiunt, Cantores incipiunt Antiph. Ecce quam bonum, &c. *quam Conuentus communiter prosequitur, eaque finita Cantores cantăt secundum Versum eiusdem Psalmi, videlicet,* Sicut vnguentum, &c. *Post quem dictum, iterum repetitur a Conuentu prædicta Antiph.* Ecce quam, &c. *Et hoc ordine dicuntur a Cantoribus reliqui Versus prædicti Psalmi, repetente Conuentu post vnumquemque eorum Antiphonam* Ecce quam, &c. *vt infra notatur.*

Antiphona.	Ecce quam bonum, & quam iucundum: habitare Fratres in vnum.
Cant. Vers.	Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron.
Conu. Antiph.	Ecce quam bonum, & quam &c,
Cant. Vers.	Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
Conu. Antiph.	Ecce quam bonum, &c.
Cant. Vers.	Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vsque in sæculum.
Conu. Antiph.	Ecce quam, &c.
Cant. Vers.	Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Conu. Antiph.	Ecce quam, &c,
Cant. Vers.	Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.
Conu. Antiph.	Ecce quam bonum, & quam iucundum: habitare Fratres in vnum,

His peractis, à Magistro Nouitiorum in vltimo inter Nouitios loco collocetur, & Fratres facto per Præsidentem signo, incipiente Cantore Psal. Deus misereatur. *in Conuentum reuertantur.*

Si plures induendi fuerint, idem prorsus seruabitur, sed vnumquemque Pater aliquis ex antiquioribus comitabitur, ita tamen, quod Iuniores præcedant, & ad inclinationem, quæ ante Altare, &

pedes Superioris fit, ita prædicti Patres se collocent, vt omnes induendi simul sint, & (si locus capiat) Magister *Nouitiorum, & alius Pater hinc inde latera Nouitiorum claudant, reliquis à tergo induendorum permanentibus. Quibus omnibus genuflexis, vt supra dictum est, Superior interroget, dicens:* Quid petitis? *induendique respondebunt omnes simul:* Misericordiam Dei, Ordinis paupertatem, Fratrumque societatẽ: *Patresque supradicti recedent ad loca sua, factaque a Superiore exhortatione, redeunt ad induendos, & cum eis genuflectunt, vt in principio. Interrogabit autem Superior induendos, an firmiter in Religione vsque ad finem vitæ perseuerare intendant, illique simul respondebunt:* Dei misericordia, & Fratrum orationibus nisus intendo. *tunc surgentibus omnibus, Superior, & ipse surgens, dicat:* Deus, qui vos incepit in nobis, ipse vos perficiat. Per Christum, &c ℟. Amen.

Exuensque illos sæculari, qua operti sunt veste, vnicuique dicat: Exuat te Dominus veterem hominum cum actibus suis. ℟. Amen.

Deinde stantibus omnibus Fratribus, genuflexis Nouitijs induendis, dicat ℣. Domine Deus virtutum conuerte nos. ℟. Et ostende faciem tuam, & salui erimus. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine Deus virtutum supplices deprecamur clementiam tuam, vt hos famulos tuos miserationis tuæ abundantia ab omni vetustatis irreptione expurget, & capaces sanctæ nouitatis efficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quod si maiori vti voluerit solemnitate, omissa hac Oratione, dicet tres sequentes.

DEus indulgentiæ, & misericordiarum Pater, qui seueritatem tuæ discretionis temperans, indulsisti, ne filius portet iniquitatem patris, & qui mirabili dispensatione malis be-

n:

ne vtens, tuæ dignationis gratiam per peccatorum ministeriũ frequenter largiris: quæsumus immensam clementiam tuam, vt his famulis tuis non obsistat, quod habitum nostræ sacræ Religionis, ad honorem B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo dedicatæ, per nos (tanto, ac tali ministerio indignos) hodie suscipiunt, sed ministerium, quod per nos exterius exhibetur, tu interius per donum sancti Spiritus exequaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Iesu Christe, æterni Patris vnigenite, qui nostræ mortalitatis tegmen in Beatæ, & intemeratæ Virginis Mariæ vtero induere, & mundum peccatis inueteratum, per tuæ incarnationis mysterium renouare dignatus es: te supplices exoramus, vt intercedente ipsa tua Genitrice Maria, huius sanctæ Religionis Patrona præcipua, hi famuli tui in spiritu mentis eorum renouati, veterem hominem cum actibus suis exuant, & nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, induere mereantur. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum, ℟. Amen. Oremus.

SAncte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum reuelare dignatus es mortalibus, immensam tuæ pietatis postulamus gratiam, vt sicut vbi vis spiras, sic & his famulis tuis affectum deuotionis concedas, vt per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ, cui peculiariter in sancta Religione deuotum exhibere disposuerunt famulatum, eos à vanitate sæculi veraciter conuertas, & ad huius sancti propositi obseruantiam facias ita certatim feruere, quatenus iuste, & pie viuendo per veram humilitatem, obedientiam, castitatem, & abdicationem proprietatis in fraterna charitate, constanti perseuerantia huius sancti propositi cursum valeant fæliciter consummare, quod ipse præstare digneris, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post

Post hæc statim Superior, vna cum præfatis Patribus, vnumquemque illorum nostri sacri Ordinis habitu segregatim induat, tunicamque superiorem imponendo disiunctim vnicuique dicat.

Induat te Dominus nouum hominem, qui secũdum Deum creatus es in iustitia, & sanctitate veritatis. In nomine Pa ✠ tris & Filij, & Spiritus sancti. ℟: Amen.

Faciens super vnumquemque separatim signum Crucis, quod similiter post vniuscuiusque ex reliquis Ordinis vestibus indutionem facere debet. Mox præcingat eum cingulo, seu zona, dicens vnicuique. Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cũ autem senueris alius te cinget. In nomine Pa ✠ tris, & Filij, & Spiritus sancti. ℟. Amen.

Imponens illis scapulare cuique ipsorum dicat: Tolle iugum Christi suaue, & onus eius leue. In nomine Pa ✠ tris, &c. ℟. Amen.

Vltimo imponit illis cappam, dicens similiter vnicuique: Qui sequuntur Agnum sine macula ambulabunt cum eo in albis: ideo sint semper tua vestimenta candida, in signum internæ puritatis. In nomine Patris, &c. ℟. Amen.

His peractis, nouiter indutis genuflexis (capite aliquantulum inclinato) remanentibus, Superior illos aspergat aqua benedicta, extendensque manum super eos dicat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & hos famulos tuos, quibus in tuo sancto nomine habitum nostræ sacræ Religionis imposuimus, benedicere digneris: & præsta, vt te largiente deuoti in Ecclesia persistant, & vitam mereantur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde cum reliquis omnibus genuflectens incipit Hymnum, Veni creator Spiritus, &c *quem Conuentus prosequitur; & Noui-*

tij

tij ducuntur à Magistro, & tot Fratribus antiquioribus, quot erant Nouitij, infra gradus Altaris, vbi se prosternent, donec preces finiantur; Fratres vero dicto primo Versu Hymni, surgunt.

Finito Hymno *supra posito, permanentibus adhuc Nouitijs prostratis, Cantor tono mediocri, dicat:* Kyrie eleison, *& Conuentus alternatim prosequatur:* Christe el. Kyrie el. *& Superior* Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eis. ℣. Saluos fac seruos tuos Domine. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Ora pro eis sancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiantur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiscum. Oremus.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da eis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

PRotege Domine famulos tuos subsidijs pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinijs confidentes à cunctis hostibus redde securos.

DEus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoatur, sine quo nihil boni perficitur, adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures; & hos famulos tuos, quibus in tuo sancto nomine nostræ sacræ Religionis habitum imposuimus, ab omni mundiali vanitate, & sæculari impedimento, ac carnali desiderio defende: & concede eis propitius, vt in hoc sancto proposito deuote persistere valeant, & remissione peccatorum percepta ad electorum tuorum consortium valeant fæliciter peruenire.

Deus

DEus, qui non vis mortem peccatorum, sed per poenitentiam, emendrtionem vitæ semper inquiris, te suppliciter deprecamur, vt his famulis tuis sæcularibus actibus renunciantibus largam tuæ miserationis gratiam benignus infundere digneris; quatenus castris tuis inserti, ita tibi militando stadiũ vitæ præsentis percurrere valeant, vt æternæ remunerationis brauium te donante percipiant: & sicut (te Deo inspirante) nostris optant iungi consortijs (propter quod damus eis communẽ viuendi nobiscum societatem, quantum apud te possumus promereri, & nostrum est largiri) sic cum electis tuis a te remuneratore omnium bonorum valeant repromissa præmia percipere. Per Christum D.N. ℟. Amen.

Quibus dictis aspergat illos aqua benedicta. Postea eleuentur a terra à supradictis Magistro, *&* Patribus; *& manibus iunctis ante pectus ducantur ad medium Altaris, quod genuflexi reuerenter osculabuntur. Mox ducti a præfatis* Patribus *ante Superiorem genuflectunt, osculataque illius manu, reliquos omnes Fratres (dicentes Sacerdotibus*: Ora Deum pro me Pater, *ceteris vero,* Ora Deum pro me Frater*) deuote, & reuerenter amplexabuntur.*

IN *induẽdis* Donatis *idem modus seruabitur, sed cum imponitur palliũ, nihil dicitur, & semper induentur, & primam professionem emittent in Capitulo, aut Choro; forma autem professionis eorum, quam transacto vno anno* Nouitiatus *vulgari sermone facere debent, hæc est.*

Ego Frater N. facio meam professionem simpliciter, & promitto Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem Deo, ac Beatissimæ Virgini Mariæ de Monte Carmelo, & Reuerendo Patri nostro Fratri N. Præposito Generali Congregationis Carmelitarum Discalceatorum, suisque successoribus.

Insuper promitto me non prætensurum aliquam mutationem habitus, vel ascensum ad gradum laicorum, aut Choristarum

rum

rium, aut ad quemlibet alium gradum altiorem eo, ad quem à Deo vocatus sum.

Sed transacto quinquennio à prima professione facient prædicta vota solemnia eadem forma, mutato illo verbo: Simplicem, *in* solemnem. *& addita post* successoribus, vsque ad mortem.

DE NOVITIORVM PROFESSIONE. Caput V.

CVm tempus emittendi professionem aduenerit, fient omnia, quæ ad induendum Nouitium dicta sunt, præterquam quod professionem emissurus procedit cum habitu superiore, portans in manibus cappam, scapulare cum capucio, & zonam, ac professionem scriptam. Factaque exhortatione, vt ibi, interroget Superior, an in Religione vsque ad finem vitæ firmiter perseuerare intendat; *ipseque respondebit*; Dei misericordia, & Fratrum orationibus nixus volo. *Deinde manus suas (in quibus sit charta, emittendi professionis tenorem continens) manibus Superioris imponat; & suam professionem voce intelligibili, alte, vt facile à circumstantibus percipi possit, leget.*

FORMA PROFESSIONIS.

EGo Frater N. N. facio meam Professionem, & promitto Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem Deo, ac Beatissimæ Virgini Mariæ de Monte Carmelo, & R.P.N.Fr.N.N. Præposito Generali Congregationis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, suisque Successoribus, secundum Regulam primitiuam prædicti Ordinis, vsque ad mortem. Insuper promitto, me numquam prætensurum prælationem aliquam, vel officium, iuxta Constitutiones, neque extra Religionem acceptaturũ, nisi præcepto eius, q mihi præcipere posit, adstringar.

ſalui erimus. ℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

AEterne Pater, & omnipotens Deus, qui Vnigenitum tuũ veſtem noſtræ mortalitatis induere voluiſti, obſecramus immenſam tuæ largitatis bene ✠ dictionem in hoc genus effluere veſtimenti, quod ſancti patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium à renunciantibus ſæculo geſtari ſanxerunt, & ſic ipſum ✠ benedicere digneris, vt famulus tuus, qui eo vſus fuerit, induere mereatur ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte, auctor virtutum, & amator pœnitentium, qui maxime humilitatem, paupertatem, obedientiam, & caſtitatem, cum ceteris virtutibus corporaliter in mundo elegiſti, & peccatores ad pœnitentiam miſericorditer vocare veniſti, ac omnes fideliter credentes pie ſuſcepiſti: tuam ineffabilem miſericordiam ſuppliciter exoramus, quatenus hũc habitum ſancti ✠ ficare, ac bene ✠ dicere digneris: & concede propitius, vt quicumque illum deuote in ſanctæ conuerſationis ſignum geſtauerit, cum veſte candida, & immaculata ante tribunal tuum in Sanctorum agmine glorificatus, in die iudicij valeat apparere. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Illico aſpergit veſtes, ſimiliter & nouiter profeſſum, dicens: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti *Mox induit profeſſum, & primo præcingens illum zona dicit.* Cum eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris alius te cinget. In nomine Pa ✠ tris, & Filij, & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

Deinde imponit ei ſcapulare diſſutum capucio, dicens: Tolle iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue. In nomine Pa ✠ tris, & Filij, & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

Vltimo vero illum amiciens cappa dicit: Qui ſequuntur Agnum ſine macula, ambulabunt cum eo in albis: ideo ſint ſemper tua veſtimenta candida, in ſignum internæ puritatis. In nomine Pa ✠ tris, & Filij, & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

Quibus finitis aſpergit eũ (ad huc genuflexum) ſecundo, & dicit.

Oremus.

DOminus Ieſus Chriſtus, Pater miſericordiarum, & peccatorum conſolatio, qui non vult mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat, qui non iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam vocat, ipſe tibi ſua ineffabili miſericordia, & ſolita pietate, veram, & continuam cordis contritionem, ac ſanctã pœnitentiam inſpiret, vt digne habitum ſanctæ profeſſionis gerere, & promiſſa Ordinis ſancta valeas adimplere, ac in ſuo ſancto ſeruitio perſeuerare, & cum electis eius ad ęterna gaudia fæliciter peruenire. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Poſtea aſpergat illum tertio in modum Crucis, dicens: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti, *Incipitque alta voce* Hymnum, Te Deum laudamus, *vt ſupra in* §. 4. *cap.* 1. *fol.* 13 *quem proſequitur Conuentus, & omnibus hinc inde per choros ſtantibus. Superiore vero in ſuperiori Altaris gradu iuxta cornu Euangelij ſtante, Profeſſus infra eiuſdem Altaris gradus ſe ſupra tapetem proſternat, & campanæ pulſentur, dum cantatur Hymnus*, Te Deum, &c. *Quo finito Cantor voce mediocri dicat*, Kyrie eleiſon. *Et Conuentus proſequatur alternatim*, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Superiorque* Pater noſter. ℣. Et ne nos, &c. *Cum ceteris Verſibus, & Orationibus, vt in cap. præcedenti poſt Hymnum*, Veni Creator. *annotantur fol.* 49.

Fini-

*Finitis Orationibus Superior aspergat nouiter professum aqua benedicta, & Magister Nouitiorum leuans illum à terra ducat ad medium Altaris, quo osculato ducatur ab eodem ad Superiorem, cui humiliter, & deuote manum osculabitur. Deinde reliquos omnes fratres(dicens Sacerdotibus:*Ora Deum pro me Pater, *ceteris vero,* Ora Deum pro me Frater)*amplexabitur reuerenter.*

Interim cantatur Psalmus. 132. *Cum repetitione Antiphonæ,* Ecce quam bonum,&c. *vt in præcedenti capitulo fol. 51.*

His peractis Magister *Nouitiorum collocet prædictum* Pro*fessum in loco, quem deinde tenere debet (hoc est) in vltimo inter professos: & facto per* Præsidentem *signo, incipiente altero ex Cantoribus, Choroque prosequente* Psalmum, Deus misereatur, *regrediuntur ad Conuentum. Si plures professionem emiserint, obseruentur ea quæ ad indutionem dicta sunt.*

DE VELO MONIALIVM.
Caput VI.

CVm post elapsum probationis annum velum alicui Monialium tribuendum fuerit, antequam illud recipiat, emittet professionem in manibus Priorissæ *eiusdem* Monasterij, *vel alicuius Fratris, cui hoc commissum fuerit, iuxta formam prænotatam in præcedenti capitulo.*

Igitur cum dies, in quo velum eidèm tribuendum fuerit, accesserit, ante Missarum *solemnia* Moniales *omnes in cappis cum candelis accensis nouiter professam comitantes, Hymnumque,* Veni creator Spiritus, *cantantes, processionaliter in Chorum conueniant.*

Finito Hymno *Sacerdos celebraturus Pluuiali indutus stans supra gradus maioris Altaris, vel iuxta ferream cratem, dicit.*

Vers. Emitte spiritum tuum,& creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et

℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoatur in Choro Officium Missæ *de Spiritu sancto, vel de occurrenti festo, cuius Orationibus sequentes superaddentur.*

ORATIO.

QVæsumus Domine Deus omnipotens, famulam tuam placabili pietate respice, & cor eius tui amoris igne succende, vt tibi toto corde deuota, & in præsentibus aduersitatibus liberetur, & optatis gaudeat prosperitatibus æternis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

SECRETA.

CAElestem medicinam quæsumus Domine præbeant famulæ tuæ hæc mysteria: & vitia cordis eius expurgent. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

POST COMMVNIONEM.

AVxiliare Domine quæsumus famulæ tuæ, vt corpore pijs actionibus intenta, donis gratiæ tuæ perfruatur. Per Dominum nostrum, &c.

Dum Missæ celebratur officium, Monialis, *cui velum tribuendum est, genu flexa prope cratem ferream ab intus cum accensa candela permanet, vsque ad* Missæ *finem. Qua finita celebrans indutus*

dutus Pluuiali velum (quod ab initio Missæ super Altare maius in lance positum esse debet) hoc modo cantando benedicit.

BENEDICTIO VELI.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit cælum, & terram. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℞. Et salutare tuum da nobis. ℣. Domine Deus virtutum conuerte nos. ℞. Et ostende faciem tuam, & salui erimus. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine Iesu Christe, auctor virtutum, & amator pœnitentium, qui maxime paupertatem, & castitatem cum ceteris virtutibus corporaliter in mundo elegisti, & peccatores ad pœnitentiã misericorditer vocasti, ac omnes fideles se ad te conuertentes piè suscepisti: tuam ineffabilem misericordiam suppliciter exoramus, quatenus hoc genus vestimenti sancti ✠ ficare, & bene ✠ dicere digneris: & concede propitius, vt quæcumque illud deuote in signum sanctæ conuersationis gestauerit, cum veste candida, & immaculata ante tribunal tuum in sanctorum agmine glorificata in die iudicij valeat apparere. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Postea aspergit illud aqua benedicta, & Responsorium. Amo Christum, *cantatur in Choro communiter. Interim si Chorus longe ab Altari distat, Sacerdos cum ministris (altero ex Acolythis velum in lance deferente) ad cratem ferrehm accedit.*

Resp. Amo Christum, in cuius thalamum introiui, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. * Quem cum amauero casta sum, cum tetigero munda sum, cum accepero virgo sum. ℣. Anulo suo subarrhauit me, & immensis monilibus ornauit me.

* Quem

℟. Quem cum amauero, &c.

Illico Sacerdos versa ad Conuentum facie incipit Antiphonam, Veni Sponsa Christi: *Conuentus communiter prosequitur.*

Antiph. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.

Postea cantatur in Choro alternatim Psalmus, Exaudiat te Dominus, *vt supra in §.6. cap. 3. fol. 42. quo finito Celebrans reincipit prædictam Antiphonam,* Veni sponsa Christi, &c. *quam Chorus prosequitur.*

Deinde Celebrans dicit, Dominus sit tibi adiutor, & protector, atque omnium peccatorum tuorum indultor. ℟. Amen.

Finita hac Oratione Monialis, cui velum tribuitur, in medium Chori procedens cantat sequentem Antiphonam.

Antiph. Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Qua finita accedit ad fenestellam, per quam sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sororibus ministrari solet, Celebransq; imponit illius capiti velum, ita vt faciem cooperiat, dicens: Accipe velum sacrum, pudoris, & reuerentiæ signum, quod perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in sæcula sæculorum. Amen.

M*ox accepto velo regreditur ad medium Chori, vbi cantando dicit:* Posuit signum in faciem meam. *Et Conuentus prosequitur,* Vt nullum præter eum amatorẽ admittã. *Et statim Celebrans* dicit ℣. Bene ✠ dicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creauit. ℟. Amen. ℣. Bene ✠ dicat te Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis saluator Deus descendit, & Crucem subire non recusauit. ℟. Amen. ℣. Bene ✠ dicat te Spiritus sanctus, qui in similitudine columbæ in Iordane super Christum requieuit. ℟. Amen. ℣. Et ipse te in Trinitate perfecta sancti ✠ ficet, & custodiat omnibus diebus vitæ tuæ,

quem

quem venturum ad iudicium expectamus, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen. ℣. Propitietur Dominus omnibus infirmitatibus tuis. ℟. Amē. ℣. Sanet omnes languores tuos. ℟. Amen. ℣. Redimat de interitu vitam tuam. ℟. Amen. ℣. Corroboret, atque confirmet in omnibus desiderium tuum, qui in Trinitate perfecta viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea benedicat prædictam Monialem, *dicens*: Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti descēdat, & maneat semper super hanc famulam Dei. ℟. Amen.

Statim incipit Hymnum, Te Deum laudamus, *vt supra in* §. 4. *cap.* 1. *fol.* 13. *Quem Chorus* (*nouiter velata* Moniali *in medio Chori prostrata*) *vsque ad finem prosequitur. Deinde dicitur* Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. *Et Celebrans*, Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in ea. ℣. Saluam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Ora pro ea sancta Dei Genitrix. ℟. Vt digna efficiatur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

PRotege Domine famulā tuam subsidijs pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinijs confidentem à cunctis hostibus redde securam.

Benedictio pro indumentis paruulorum. §. 4.

Cum paruulus aliquis, voti, aut deuotionis causa nostri Ordinis habitu induendus fuerit, Sacerdos indutus sacerdotalibus paramentis, vel saltem stola super cappam collo imposita, præmissis versibus Adiutorium, &c. *habitum simul & paruulum induendum modo subsequenti benedicat.*

Vers. Adiutorium, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

Domine Iesu Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es, benedictione sancta tua bene ✝ dic ista paruula vestimenta, quæ pro gratijs tibi exoluendis omni cum deuotione, sanctoque voto, ac veneratione Beatissimæ Virginis Mariæ infans iste super se suscepturus est: infunde in eum quæsumus tuam sanctam bene ✝ dictionem, vt cum primum induerit hunc habitum Religionis Beatæ Mariæ de monte Carmelo, intercedente sancto Alberto, descendat super eum gratia tua, quæ protegat illum ab omni malo mentis, & corporis. Qui viuis, & regnas, &c. ℟. Amen.

Deinde aspergat vestes aqua benedicta, exuensque paruulum vestibus sæcularibus dicat.

Eripiat Dominus de corde tuo sæculi pompas, quibus abrenunciasti, dum Baptismum susciperes. ℣. Eripe me Domine ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus. ℟. Et ab insurgentibus in me libera me. ℣. Eripe me de operantibus iniquitatem. ℟. Et de viris sanguinum salua me. ℣. Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

Postea induitur paruulus habitu, cui cũ Sacerdos imponit tunicam griseam, dicit: Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque feruore succendaris, vt ardeas cælestium bonorum desiderio. ℟. Amen.

Deinde dicitur alternatim subsequens Psalmus.

Psalmus 118.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & vsq. in sæculum.

A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo, & in terra.

Suscitans a terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum Principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, &c.

Præcingens illum Zona dicit. Præcingat te Dominus zona iustitiæ, vt immaculata conserues omnia mandata sua. ℟. Amen.

lutem mentis,& corporis,vt te Creatorem recta fide colat,in te Redemptore spem suam confirmet, teque summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Statim dicit: Reddite vota vestra Deo cum actionibus gratiarum. *Et recitatur alternatim Psalmus sequens.*

LAudate Dominum omnes gentes: Laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri,&c.

Vers. Dominus vobiscum ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SVscipe sancte Pater,omnipotens æterne Deus, vota, precesque supplicantium,& per intercessionẽ Beatissimæ Virginis Mariæ,sanctique Alberti præsta nobis ita beneficia cognoscere,vt in gratiarum actione semper maneamus. Per Christum D.N. ℟. Amen.

Mox paruulum aqua benedicta aspergat, & benedicat.

Benedictio habitus pro confratribus nostri Ordinis. §. 5.

Antiph. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomẽ tuum Deus sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℟. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℟. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℟. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

SVscipiat te Christus in numero fidelium suorum, vt licet indigni te suscipimus in orationibus nostris, concedat tibi Deus per Vnigenitum suum,mediatorem Dei & hominum,tempus bene viuendi,locum bene agẽdi,constantiam bene perseuerandi,& ad æternæ vitæ hereditatem fæliciter perueniendi: & sicut nos hodie fraterna charitas spiritualiter iungit in terris,ita diuina pietas,quæ dilectionis est auctrix, & amatrix, nos cũ fidelibus suis coniungere dignetur in cælis. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Vers. Adiutorium nostrum, &c. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsque in sæculum. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

AEterne Pater, & omnipotens Deus, qui Vnigenitum tuum vestem nostræ mortalitatis induere voluisti: obsecramus immensam tuæ lar-

g ta-

gitatis benedictionem in hoc genus effluere vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ,& humilitatis indicium a renunciantibus sæculo gestari sanxerunt, & sic ipsum bene ✝ dicere digneris, vt quicumque eo vsus fuerit, induere mereatur ipsum Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum,&c. ℞. Amen.

Oremus.

SVppliciter te Domine, rogamus: vt super hunc habitum, seruo tuo imponendum, bene ✝ dictio tua benigna descendat, vt sit bene✝dictus, atq. diuina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium, & inuisibilium tela nequissima. ℞. Amen. *Imponens ei habitum, dicit.*

ACcipe, vir deuote, hunc habitum benedictum, precantes Sanctissimam Virginem, vt eius meritis illum perferas sine macula, & te ab omni aduersitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. ℞. Amen.

ADesto Domine supplicationibus nostris,& hunc famulum tuum, quem sacræ nostræ Religioni sociamus, perpetua tribue firmitate corroborari, vt perseueranti proposito in omni sanctitate tibi valeat famulari.

Et dicatur Oratio: Protege Domine famulum tuum, &c.

BEne ✝ dicat te Conditor cæli,& terræ, Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmelo Societatem, & Confraternitatem, quam precamur, vt in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est aduersarius, & tandem tanquam victor, & palmam,& coronam sempiternæ hereditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde aspergat Confratrem aqua benedicta, & subiungat dicens.

Ego auctoritate, qua fungor,& mihi concessa, recipio te ad Confraternitatem nostræ sacræ Religionis,& inuestio, ac participem te facio omnium bonorum spiritualium eiusdem Ordinis. In nomine Pa ✝ tris, & Filij, & Spiritus sancti. ℞. Amen.

His expletis Sacrista Confratris nomen in codice Confraternitatis describat.

Benedictio nouæ Domus. §. 6.

CVm aliquis Conuentus a Fratribus inhabitandus denuo recipitur, antequam ab eisdem incolatur (vel quam primum commode fieri poterit) hoc modo benedicendus est.

Conueniant Fratres in Ecclesia, seu Oratorio in cappis, ibique iuxta loci capacitatem in forma Processionis diuidantur, Cantores vero absolute incipiant, & Conuentus prosequatur sequens Responsorium.

Resp. Benedic Domine domum istam, quæ ædificata est nomini tuo, venientium in loco isto. * Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ. ℣. Domine si conuersus fuerit populus tuus, & orauerit ad Sanctuarium tuum. * Exaudi, &c. ℣. Gloria Patri,&c. Exaudi,&c.

Versicularij. ℣. Domum tuam decet sanctitudo Domine. ℞. In longitudine dierum. *Sacerdos.* ℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus qui in omni loco dominationis tuæ dedicator aſſiſtis: exaudi nos quæſumus, vt inuiolabilis huius domus permaneat benedictio, & beneficia tui muneris vniuerſitas quæ ſupplicat mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde. ℣. Adiutorium noſtrum, &c. ℣. Dominus vobiſcum, &c.

Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & pro eius habitatoribus, ac rebus, vt eam bene ✝ dicere, & ſancti ✝ ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine Deus de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergo noſtrum bene ✝ dicere, & ſancti ✝ ficare dignare hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Iacob: & intra parietes domus iſtius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque, & eius habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergit locum aqua benedicta, atque ipſe cum reliquis omnibus genuflectens incipit Antiph. ſequentem.

Antiph. Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſsitatibus: ſed a periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta.

Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidijs pacis, & B. Mariæ ſemper Virginis patrocinijs confidentes, a cunctis hoſtibus redde ſecuros.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris: adeſto ſupplicationibus noſtris, & intercedentibus ſanctis tuis beato Ioſeph, atque beato Alberto, huius domus ſis protector, & nulla hic nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat: ſed ſint ad noſtræ humilitatis introitum meritis Sanctorum tuorum, fuga Dæmonum, & Angeli pacis ingreſſus.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, &c. ℟. Amen.

Benedictio aquæ ſancti Alberti. §. 7.

CVm iam pridem apud populum, beati Alberti noſtri ſacri Ordinis illuſtris Confeſſoris non minima deuotio percrebuerit: eo quod multi, qui a febribus vexabantur, aquam in eiuſdem honorem benedictam deguſtantes, ſæpius fuerint a languoribus liberati. Idcirco in noſtris Conuentibus, vbi prædicti Sancti reliquiæ fuerint, fiet aqua benedictio in hac forma. Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola, vel ſaltem ſtola ad collum ſuper cappam impoſita, miniſtro

ſtro cum accenſa candela comitante, accedens ad locũ vbi reliquiæ ſunt repoſitæ, extrabit illas reuerenter, & aqua benedicenda in vaſe decenti præparata, dicit.

Verſ. Adiutorium noſtrum, &c. ℣. Sit nomen Domini, &c. ℣. Dominus vobiſcum, &c. Oremus.

FIdelium Deus omnium fortitudo, & ſalus, qui ſocrum beati Petri Apoſtoli tui febribus magnis detentam, piæ rogationis intuitu perfecte ſanaſti, ſancti † ficare, & bene † dicere digneris creaturam hanc aquæ in tuo ſacratiſſimo nomine, & Reliquijs ſanctiſſimi Confeſſoris tui Alberti, quẽ ſpreto ſæculo ad almæ Genitricis Virginis Mariæ Religionem vocare dignatus es. Concede quæſumus eius glorioſis meritis, & interceſſionibus, vt quicumque febrium vexatione grauantur, per huius ſumptionem humilem a cunctis animæ, & corporis languoribus liberentur, atque Eccleſiæ tuæ incolumes repræſentari mereantur, gratiarum tibi actiones in ea iugiter referentes. Qui viuis, & regnas in ſæcula, ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde accipiens Reliquias reuerenter, immergit eas ter in aqua in modum Crucis, ſimul & ſemel dicens: Bene † dic Domine meritis ſancti Alberti creaturam hanc aquæ†, qui glorioſo tuo corpore benedixiſti aquas Ior†danis: & præſta, vt omnes guſtantes ex ea, tam corporis, quam animæ recipiant ſanitatem. Qui viuis, & regnas, &c. ℟. Amen.

Antiph. O Alberte norma munditiæ, puritatis, & continentiæ, ora Matrem miſericordiæ, vt in hac valle miſeriæ nos defendat à prauo ſcelere, vt exuto mortali corpore perfruamur æterna requie.

Verſ. Ora pro nobis B. Alberte. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt per virtutem benedictionis huius aquæ, & per meritum Paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & per interceſſionem B. Mariæ Virginis, B. Alberti, & omniũ ſanctorum, omnes fideles, qui pie, & deuote aquam iſtam guſtauerint, animæ, & corporis ſanitatem valeant recipere, & in tuo ſancto ſeruitio permanere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO CAMPANAE. §. 8.

D*Vm æs conflatur (ſi forte huiuſmodi conflatio in Conuentu fiat) congregatis ibidem Fratribus, & (prout locus permiſerit) proceſſionaliter diſpoſitis, dicitur alternatim Pſalmus*: Laudate Dominum in ſanctis eius, &c. *vt ſupra in* §. 4. *fol.* 68. *quo finito Sacerdos dicit clara voce.*

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℣. Adiutorium noſtrum, &c. ℣. Sit nomen Domini, &c. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

BEne † dic Domine hoc metallum ignitum, quod benedici ſtatuimus.

Quæſu-

QVæsumus Domine tuam gratiam perfundere digneris,& tua virtute obumbres,vt tua clementia fauente, quod desideramus attingamus, ad laudem,& gloriam Dei omnipotentis,& ad honorem sancti. *N. vel* sanctæ. N. (*hic exprimitur nomen Sancti, cui Campana dicanda, & cuius nomine intitulanda est*) Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Statim aspergatur aqua benedicta.*

Cum iam conflata,seu perfecta Campana fuerit,antequam ea vtantur,modo infra posito benedicetur.

Dicto Psalmo,& versibus vt supra, Sacerdos dicit.

Oremus.

DEus, qui per sanctum Moysem legitimum famulum tuum,tubas argẽteas fieri præcepisti, quibus dum Leuitæ tempore sacrificij clangerent,sonitus dulcedine populus monitus,ad te orandum fieret præparatus, & ad celebranda sacrificia conueniret:præsta quæsumus,vt hoc vasculum sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum, a tuo sancto Spiritu per nostræ humilitatis obsequium sancti † ficetur,vt per illius tactum,& sonitum fideles inuitentur ad sanctam matrem Ecclesiam,& ad præmium supernum.

PRocul pellantur omnes insidiæ inimici,fragor grandinum, & impetus tempestatum:temperentur infesta tonitrua: prosternat aëreas tempestates dextera tuæ virtutis,vt hoc audiẽtes tintinnabulum tremiscant,& fugiant ante Crucis vexillum in eo depictum. Quod ipse Deus noster Iesus Christus præstare dignetur,qui absorpta morte per patibulum Crucis, regnat in gloria Dei Patris cum eodem Spiritu sancto. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. *Deinde aspergat aqua benedicta.*

Benedictio agrorum, vt ab eis locustæ, bruchi, & quæuis alia animalia noxia expellantur. §. 9.

SAcerdos indutus superpelliceo,seu cotta vel cappa,& stola violacei coloris ad collum imposita,veniens ad agrum a locustis, bruchis, aut alijs animalibus noxijs vexatum, primo aspergat illum aqua benedicta: deinde dicat Versus, & Orationes sequentes.

Vers. Adiutorium nostrum, &c. ℣. Domine exaudi,&c, ℣. Dominus vobiscum,&c.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus,bonorum omnium auctor,& conseruator, in cuius nomine omne genu flectitur,cælestium,terrestrium, & infernorum:concede,vt quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam, efficacem consequatur effectum: quatenus hos vermes, mures, bruchos, aues, locustas, aut alia animalia noxia segregando segreges, exterminando extermines, vt ab ista calamitate liberati gratiarum actiones Maiestati tuæ referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus,qui famulorum tuorum Moysis, & Aaronis ministerio ab Aegyptijs pro gloria nominis tui locustas, bruchos, ciniphes, aliasque

plagas (scilicet iustitiæ tuæ in peccatores flagella) auertisti, a filijs quoque Israel prohibuisti: a populo tuo in te credente similes calamitates aufer, vt potentiam tuam, & beneficentiam prædicemus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

LArgire, & conseruare fructus terræ dignare Domine Deus noster, vt temporalibus gaudeamus auxilijs, & proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

ORamus te Domine Deus noster, vt hos agros, aut vineas serenis oculis, hilarique vultu respicere digneris: tuamque super eos mitte bene ✝ dictionem, vt non grando surripiat, non turbo subuertat, non vis tempestatis detruncet, non æstus exurat, non animalia noxia corrodant, neque inundatio pluuiæ exterminet: sed fructus incolumes vberesque vsui nostro, ad plenam maturitatem perducas. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum, &c. ℟. Amen.

Mox aspergat agros, vel vineas, dicens pro temporis diuersitate Antiphonam. Vidi aquam, &c. *vel*, Asperges me, &c. *Deinde legat sequens Euangelium.* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Euangelij secundum Marcum. ℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore dixit Iesus Discipulis suis. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. ℟. Laus tibi Christe.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

PReces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, & hanc vermium, murium, bruchorum, auium, locustarum, vel aliorum animalium calamitatem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, vt per potentiam tuam expulsa nulli noceant, & hos agros, vineas, aut hortos intactos dimittant, quatenus quæ ex eis orta fuerint, tuæ Maiestati deseruiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat prædictos agros, seu vineas ter in modum crucis, dicens: Benedictio Dei omnipotentis Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti descendat, & maneat super hos agros, vineas, aut hortos, & eorum fructus. ℟. Amen.

Benedictio pro aquis infectis. §. 10.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo

beo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei : Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua : & ecce aperti sunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum : & ecce vox de cælis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. ℟. Laus tibi Christe.

Vers. Adiutorium nostrum,&c. ℣. Dominus vobiscum,&c.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui Iordanis flumen benedixisti, & in eodem baptizatus aquas purificasti, vt elementum salubre efficerentur in remissionem peccatorum: has aquas bene ✝ dicere, & sancti ✝ ficare digneris, vt nihil in eis noxium, nihil pestilens, nihil corrumpens maneat, sed omnia pura, & munda in eis efficiantur, vt quæ ad vsum hominum ex eis creata sunt, cum gloria tua, & salute nostra sumamus. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. *Deinde aspergantur aqua in modum crucis.*

Benedictio pro animalibus infirmantibus. § 11.

Primo infirmantia animalia aspergantur aqua benedicta. Mox Sacerdos dicat. ℣. Adiutorium,&c. Dominus vobiscum,&c. Oremus.

MIsericordiam tuam Domine supplices exoramus, vt hæc animalia, quæ graui infirmitate vexantur, tua bene ✝ dictione sanentur: extinguatur in eis omnis diabolica potestas, neque vlterius ægrotent : esto eis Domine vitæ defensio, & remedium sanitatis.

DEus, qui laborantibus hominibus etiam de mutis animalibus solatia subrogasti: supplices te rogamus, vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. *Et aspergantur iterum.*

DE RECONCILIATIONE ECCLESIAE. Caput VII.

CVm aliquã Ecclesiã nostrorum Conuentuum violenta sanguinis effusione, vel alio quouis modo violari contigerit, a quolibet priuato Sacerdote (dũmodo sacro chrismate consecrata non sit) hunc in modum reconciliari poterit.

Sacerdos indutus superpelliceo, seu cotta, vel saltem cappa, & stola violacei coloris ad collum imposita, præcedente Conuentu, ac post ipsum Conuentum Acolythis cum cereis accensis, & aqua benedicta procedentibus, accedit ad violatum locum, ibique dicit.

In nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritus✝sancti. Amen. *Deinde dicitur Antiphona,* Asperges me,&c. *& post ipsam Psalmus,* Miserere mei Deus, &c. *vsque ad finem, cum* Gloria Patri, *vt infra in Funerali cap. 3. de Extrema vnctione,*

Interim Sacerdos aspergit ter locum pollutum in modum crucis, & repetita Antiph. dicitur. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Domum tuam decet sanctitudo Domine. ℟. In longitudinem dierum. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

DEus, qui dixisti, Domus mea, domus orationis vocabitur: domum istam sanguinis effusione, vel spurcitijs contaminatam, mundare, & sancti ✝ ficare digneris, vt omnium preces, & vota in hoc loco ad te clamantium clementer exaudias, & benigne perficias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DEus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc domum bene ✝ dictionem tuam, vt ab omnibus hic inuocantibus nomẽ tuum, defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens atque benignus dedicator & sanctificator assistis: exaudi nos quæsumus per merita tuæ sanctæ passionis, & per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ, & omniũ Sanctorum concede, vt in posterum inuiolabilis huius loci permaneat reconciliatio, & beneficia tua ad te clamantes, in hoc sancto Templo, & vbique percipere mereantur. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre, &c. ℟. Amen.

Finitis Orationibus procedunt processionaliter ad gradus maioris Altaris, ceterisque omnibus genuflexis Sacerdos stans dicit.

Vers. Sacerdotes tui induantur iustitiam. ℟. Et sancti tui exultent. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui superbis resistis, & gratiam præstas humilibus: tribue quæsumus, vt non indignationem tuam prouocemus elati, sed propitiationis tuæ capiamus dona subiecti. Per Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

DE EXORCISMIS
Caput VIII.

SAcerdos exorcizaturus, stola violacei coloris (ad minus) supra superpelliceum, vel cappam vti debet, cui assistent aliqui ex Fratribus tenentes crucem paruam, candelam accensam, & aquam benedictam.

Exorcismus contra imminentem tempestatem.

CVm aliqua procellosa ingruerit tempestas, quæ turbido aëre, ac nebulosis vndique nubibus circumfluentibus, agris, aut vineis, vel etiam ædificijs damnum aliquod minetur euenturum, Prior, vel alius Sacerdos, cui ipse iniunxerit, stola ad collum imposita, præcedente Conuentu procedat ad Ecclesiam, ibique genuflexis omnibus, postquam aliquantulum sub silentio orauerit, accensis

sis aliquibus candelis super Altare, surgens (si expedire videbitur) Sacraris in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum seruatur, reuerenter ostia reserabit.

Deinde (remanentibus ibidem in oratione aliquibus) Sacerdos, & reliqui Fratres, quorum vnus crucem paruam, alius vero candelam accensam, & vas aquæ benedictæ deferet, dicendo alternatim per choros Psalmum, Miserere mei, *ascendunt ad locum eminentem, ex quo nubes, quæ maius periculum inductura videntur, perspici possint: finitoque Psalmo cum* Gloria Patri, *omnes (si commode fieri poterit) genuflectent: Sacerdos vero verso ad tempestatem vultu, incipiat contra eam Exorcismum: interimque campanæ pulsentur.*

Per signum Cru † cis, de inimicis † nostris libera nos † Deus noster. In nomine Patris † & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Credo in Deum &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vsque in sæculum. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. ℟. Et fugiant qui oderunt eum à facie eius. ℣. Exurge Christe, adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, quique flumini Iordani benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, & tuas sanctissimas manus, & brachia sacratissima in Cruce † extendisti, quibus aërem sanctificasti: obsecramus immensam pietatis, & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & post me, & super me, à dextris, & à sinistris video aërem perturbare, dissoluere, & annihilare digneris, vt alligata potestas dæmonum impie desæuientium deficiat, & turbetur, ad laudem tui sanctissimi nominis, & potentissimæ Maiestatis tuæ: Qui viuis, & regnas in sæcula &c. ℟. Amen.

Deinde conuersus ad nubes signet eas cruce, dicens.

Circumdet te, nubes, Deus Pater. † Circumdet te Deus Filius. † Circumdet te Deus Spiritus sanctus † Destruat te Deus Pater. † Destruat te Deus Filius. † Destruat te Deus Spiritus sanctus. † Comprimat te Deus Pater. † Comprimat te Deus Filius. † Comprimat te Deus Spiritus sanctus. †

Sanctus Matthæus, Sanctus Marcus, Sanctus Lucas, Sanctus Ioannes, Euãgelistæ, qui Christi Euangelium per quatuor mundi partes diuulgarunt, ipsi suis meritis, & precibus hanc tempestatem à termino isto, & ab omnibus Christianorum finibus ab eodem Domino nostro Iesu Christo obtineant effugari, & depelli.

Et ego peccator, & Christi Sacerdos, seu Minister (licet indignus) auctoritate, & virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi summi Imperatoris, non mea potentia innixus, & confisus, vobis præcipio immundissimi spiritus, qui has nubes, seu nubeculas concitatis, in virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi † per sanctissimam eius Incarnationem, per sanctam Natiuitatem, per Baptismum, & Ieiunium ipsius, per eius sacratissimam Crucem † & Passionem, per sanctam Resurrectionem, per admira-

admirabilem Ascensionem, per tremendum Aduentum eius, & Iudicium, per merita intemeratæ semperq; Virginis Mariæ, & sanctissimi Eliæ, & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis ab eis, & eas dispergatis in locis siluestribus, & incultis; quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus, humanis vsibus deputatis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Ipse vobis imperat, dæmones, qui has nubes commouetis, de quo de nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. † Ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, & corporis sui sanctissimi in ea extensione aerem purgauit. † Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, Principem vestrum, mortemq; deuicit, & ligauit, atque æternæ gehennæ mancipauit ignibus. † Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susceptus virtute sua ascendit in cælum. † Ipse vobis imperat, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen. *Statim eleuet Crucem in aera, dicens.*

Ecce lignum sanctissimæ Crucis †, fugite partes aduersæ: vicit enim vos, & mundum Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, Imperator summus, leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Deinde aspergat nubes in modum crucis ad quatuor latera. Si nondũ quieuerit tempestas, poterunt legi Litaniæ. Deinde Symbolum. Quicumque vult, *&* *Antiphona.* Salue Regina. *&* Sub tuum præsidium, &c. *Canticum etiam,* Benedicite, *cum repetitione Versus,* Gloria Patri, *post vnumquemque versuum prædicti Cantici. Vltimo dicantur Versus, & Orationes sequentes.*

Vers. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu. ℟. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur &c. ℣. Exurge Christe, adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi &c. ℣. Dominus vobiscum &c. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis.

PRotege Domine famulos tuos subsidijs pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes, à cunctis hostibus, & periculis redde securos.

A Domo tua quæsumus Domine spiritales nequitiæ repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

AD te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus, vt qui iuste pro peccatis affligimur, misericordia tua præueniente clementiam sentiamus.

LArgiri, & conseruare fructus terræ dignare Domine Deus noster, vt temporalibus gaudeamus auxilijs, & proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum &c. ℟. Amen.

Poterit

Poterit etiam ſuperaddi Oratio Sancti titularis Conuentus, & aliorum pro deuotione Fratrum, cum compunctione cordis Dei miſericordiam implorando. Quodſi adhuc tempeſtas ſedata non fuerit ſupradicta, bis, aut pluries poterunt repeti, prout oportere viſum fuerit.

Cum vero tempeſtate pacata ſerenum adfuiſſe viderint, regrediantur ad Eccleſiam, dicentes Hymnum, Te Deum, *vt in §. 4. cap. 1. fol. 13. quo finito Sacerdos dicit.* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

AGimus tibi gratias omnipotens Deus pro vniuerſis beneficijs tuis. Qui viuis, & regnas &c. ℟. Amen.

Deinde claudit Sacrarium (ſi forte remanſit reſeratum) & reuertuntur in Conuentum.

Exorciſmus contra locuſtas &c. §. 2.

SAcerdos ſtola ad collum impoſita Crucem paruam in manibus deferens, miniſtro cum aqua benedicta, & aſperſorio comitante, veniens ad locum vbi ſunt locuſtæ, vel alia noxia animalia, incipiat Exorciſmum in hac forma.

Verſ. Adiutorium noſtrum &c. ℣. Sit nomen Domini &c. ℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli. ℟. Et laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula. ℣. Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus.

DOmine Deus, qui creaſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuã, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, vt hunc fructum, quem ad vſum generis humani naſci feciſti, tua benedictione perpetua bene ✝ dicas, vt germinet ſuper terram, floreat, frondeat, & ad fructum maturitatis perueniat, quatenus de eo tibi ſuppliciter, & humiliter famuli tui acceptum ſacrificium, gratamq. oblationem valeant offerre in conſpectu tuo, & de reliquo vitam ſuam nutrire, ad laudem, & gloriam ſanctiſsimi nominis tui. Non ſeminet ſuper eum hoſtis antiquus ſemina ſua, non zizania: non turbet eum aliquod malum: non calor ſiccet, non tempeſtas conturbet, nec grando conterat, neque ventus exurat: non ærugo, aut tinea demoliatur: non locuſta mordeat, neque animal aliud quodcumque inficiat: ſed ſub tua protectione, eum pluuia opportuna, ſalutaris, & congrua ſatiet, refrigeret ros, & vſque ad complementum culturæ ad manus laborantium in eo, proſpere & cum ſalute perducat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua iſta myſterij tui tibi ſeruiens, ad abigendos Dæmones, morboſque pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectum: quidquid in agris, vel vineis, vel hortis, vel ſegetibus fidelium tuorum hæc

vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxijs animalibus, non illic resideat spiritus pestilens. ℟. Amen. ℣. Non aura corrumpens. ℟. Amen. ℣. Non bruchus, aut tinea demoliens. ℟. Amen. ℣. Non locusta mordens. ℟. Amen. ℣. Non ventus vrens. ℟. Amen. ℣. Non grando conterens. ℟. Amen. ℣. Non tempestas conturbans. ℟. Amen. ℣. Non calor siccans. ℟. Amen. ℣. Non zizania perturbans. ℟. Amen. ℣. Discedant ab ea omnes insidiæ latentis inimici, & si quid est quod incolumitati eius inuideat, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, atque discedat. ℟. Amen.

Postea aspergat agri illius terminos aqua benedicta, dicens Antiphonam. Vidi aquam,&c. *vel*, Asperges me.&c. *secundum temporis diuersitatem. Qua finita dicat*: Signum salutis pone Domine in fructibus istis, & non permittas introire Angelum percutientẽ in eos, neque animal aliquod infructuosum. De cælo Domine pone signum tuum in eis, & protege eos, & non erit in eis plaga nocens.

Vers. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et Salutare tuum da nobis. ℣. Domine exaudi,&c. Dominus vobiscum,&c.

Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotẽs, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, & defendat omnes fructus, in his agris, vel vineis existentes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde fiat benedictio agrorum, vt in §. 9. cap. 6. fol. 73. continetur.

Exorcismus domus a Dæmonio vexatæ. §. 3.

SVperior, vel quilibet alius Sacerdos stola supra cappam ad collum imposita, crucem paruam portans in manibus, præeunte Conuentu accedit ad locũ, in quo frequentius Dæmonis incursiones fieri solent, incipitque Exorcismum in hac forma.

In nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti. Amen. ℣. Adiutorium nostrum,&c. ℣. Dominus vobiscum,&c. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam contulisti, vt quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, vt quod modo visitaturi sumus, visites, & quidquid benedicturi, bene ✝ dicas, & ad ea quæ acturi sumus dexteram tuæ potentiæ extẽdas, sintque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, & omnium bene viuentium, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, te inuoco, & nomen sanctum tuum, atque præclaræ Maiestatis clementiam supplex exposco, vt mihi auxilium præstare digneris aduersus nequissimũ spiritum

ritum, vt vbicumque sit, audito nomine tuo velociter exeat, & recedat. Per eundem Christum, &c. ℞. Amen.

Adiuro te serpens antique per Iudicem viuorum, & mortuorum, per factorem mundi, qui habet potestatem mittere te in gehennam, ab hac domo festinus discedas. Ipse tibi imperat, maledicte Diabole, qui ventis, ac mari, & tempestatibus imperauit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum abire præcepit. Audi ergo Satana, & time, & victus, & postratus recede, adiuratus in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℞. Amen.

Postea Sacerdos incipiat Psalmos Graduales, quorum singuli terminentur cum Gloria Patri. Prosequente Conuentu quinque priores aspergat loca domus aqua benedicta.

Psal. Ad Dominum cum tribularer. *Psal.* Leuaui oculos meos. *Psal.* Lætatus sum. *Psal.* Ad te leuaui. *Psal.* Nisi quia Dominus. *Quibus finitis dicitur*. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DOmum tuam Domine clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, & præsta, vt in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Deinde dicantur alij quinque Psalmi, interimque Sacerdos aspergat, vt prius, loca domus.

Psal. Qui confidunt in Domino. *Psal.* In conuertendo. *Psal.* Nisi Dominus. *Psal.* Beati omnes. *Psal.* Sæpe expugnauerunt me. Kyrie eleison, &c. Pater noster. ℣. Et ne nos, &c. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris; & huius domus sis protector, & nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat: sed virtute Spiritus sancti, & operatione, fiat tibi hic pronum seruitium, & deuote libertas existat. Per Christum, &c. ℞. Amen.

Post hac vltimi quinque Psalmi recitentur, aspergendo similiter (si quæ remanent) loca domus. *Psal.* De profundis. *Psal.* Domine non est exaltatum. *Psal.* Memento Domine Dauid. *Psal.* Ecce quam bonum. *Psal.* Ecce nunc. Kyrie eleison, &c. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus qui in omni loco dominationis tuæ custos, & protector assistis: exaudi nos quæsumus, vt inuiolabilis huius domus permaneat bene † dictio, & beneficia tui muneris vniuersitas quæ supplicat mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

His expletis, Sacerdos in loco eodem, vbi exorcizare incepit, dicat Euangelium sequens.

Verſ. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo. Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam. ℞. Gloria tibi Domine.

Luc. 19. IN illo tempore ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho: & ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps Publicanorum, & ipſe diues, & quærebat videre Ieſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat: & præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus. Et cum veniſſet ad locum ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere: & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertiſſet. Stans autem Zachæus dixit ad Ieſum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe ſit filius Abrahæ: venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat. ℞. Laus tibi Chriſte.

Deinde miniſtrante aliquo ex Fratribus, benedicit incenſum, dicens: Per interceſſionem S. Michaëlis Archangeli ſtantis a dextris Altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum iſtud dignetur Dominus bene ✝ dicere, & in odorem ſuauitatis accipere. *Mox imponit incenſum, accipienſque thuribulum de manu prædicti Fratris, comitante Conuentu, procedit thurificans omnia loca domus, dicens:* Incenſum iſtud a te benedictum aſcendat ad te Domine: & deſcendat ſuper nos miſericordia tua. Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum, in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum, ſacrificium veſpertinum. Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Poſtea depoſito thuribulo dicit: ℣. Dominus vobiſcum &c.

Oremus.

VIſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum noſtrum, &c. ℞. Amen.

His peractis, benedicat domum, dicens: Benedictio Dei omnipotentis Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ ſancti, deſcendat ſuper hanc domum, et omnes habitantes in ea, et maneat ſemper nobiſcum. ℞. Amen. *Aſpergatque locum, vbi prænotatam Orationem finierit, aqua benedicta.*

Exorciſmus ad Energumenos. §. 4.

IN primis Sacerdos, vel Exorciſta humiliter, & deuote, non proprijs viribus, aut virtute, ſed Dei tantummodo clementia fretus, & Ieſu Chriſti ſanguine, quo oppreſſi anima redempta eſt, innixus, Energumenum aggrediatur.

Præterea cauere debet, ne ſit leuis, & curioſus inueſtigator; non enim licet interrogare, niſi de ijs tantum, quæ ad oppreſſi liberationem quoquo modo pertinent.

nent. Poterit vero ex parte Christi interrogare Dæmonem ipsum arctando, vt dicat: Vtrum sint multi vel pauci? Quod sit nomen eius, & sociorum? Qua de causa sint ingressi? Qua hora? Per quam personam sint expellendi? Per quem sanctum? Qui sint sui inimici in cælo, & qui in inferno? Quibus verbis magis crucientur? Si sint aliquo pacto, seu maleficio ibidem alligati? Quomodo illud maleficium dissolui, ac destrui possit? Quis sit in illo corpore princeps illorum? *Denique*, Si talis persona sit vere vexata? *& similia*.

Deinde in virtute Dei præcipiet omnibus inferorum potestatibus, vt Dæmones contumaces, & inobedientes excrucient acrius in inferno, & spiritui principali in corpore obsessi, vt egrediens ipse, simul omnes sibi subiectos, ac associatos Dæmones educat.

Debet etiam exorcizare, & benedicere omnia, quæ ad vsum Dæmoniaci applicanda sunt: cuiusmodi sunt cibaria, potagia, vnctiones, & similia, & etiam illa, quæ ad coniurationem Dæmonum in corpore existentium quoquo modo conferunt.

Igitur obsessum aliquem exorcizaturus (si Sacerdos sit, & immediate post Missæ celebrationem huiusmodi officium ab ipso oporteat exerceri) amota Casula, simul & Manipulo, alio vero tempore stola ad collum imposita, vel (si non sit Sacerdos) Ecclesiasticis ornamentis, pro sui ordinis qualitate indutus, imagine Crucifixi cum sanctorum reliquijs, & vrceo aquæ benedictæ, aliquibusque candelis, seu cereis accensis præparatis, energumeno, & astantibus Fratribus genuflexis, deuote, constanter, & intrepide (hoc vnum animaduertens, quod vbicumque hoc signum Crucis † inuentum fuerit, energumenum semel in fronte, nisi ibidem aliter annotetur, signare debet) muniens se signo Crucis dicat.

In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. ℣. Ecce crucem † Domini: fugite partes aduersæ. ℟. Vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. ℣. Domine exaudi orationem, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

DEus Angelorum, Deus Archangelorũ, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi. Inuoco nomen sanctum tuum, ac præclaræ Maiestatis tuæ clementiam supplex exposco aduersus hunc nequissimum spiritum, & omnem, qui vexat hoc plasma tuum, vt mihi auxilium præstare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcizo te immundissime Spiritus, omnis incursio aduersarij, omnis ira, omne phantasma, omnis legio, in nomine Domini nostri Iesu † Christi: eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei. † Ipse tibi imperat, qui te de supernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Audi ergo, & time Satana, victus, & prostratus abscede in nomine Domini nostri Iesu † Christi. Tu ergo nequissime Satana, inimice fidei, hostis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iustitiæ declinator, malorum radix, fons vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator Dæmonum, malorum magister: quid stas, &

resistis, cum scias eum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator. Recede ergo in nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus, † sancti. Da locum Spiritui sancto per hoc signum Cru † cis Iesu Christi Domini nostri, qui cum Patre, & eodem Spiritu sancto viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Oremus.

DEus, conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum. N. qui dolis immundi serpentis appetitur, quem vetus aduersarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrore circumuolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem Diaboli, fallacesq; eius insidias amoue: procul impius tentator aufugiat, sit nominis tui sig † no famulus tuus munitus, & in anima tutus, & corpore: (*Hic quater facit signum crucis in pectore obsessi:*) Tu pecto † ris huius interna custodias. Tu vi † scera regas. Tu cor † da cõfirmes. In ani † ma aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da Domine ad hanc inuocationem sanctissimi nominis tui gratiam, vt qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat: tibique possit hic famulus tuus (*Hic facit crucem super cor energumeni*) & cor † de firmatus, & men † te syncerus debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. ℟. Amen.

Adiuro te serpens antique per iudicem viuorum & mortuorum, per creatorem tuum, per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittere te in gehennam: abi ab hoc fa † mulo Dei, qui ad Ecclesiæ signum recurrit cum metu. Tu, & exercitus furoris tui festinus discedas.

Adiuro te † iterum, non mea infirmitate, sed virtute Spiritus † sancti, vt desistas ab hoc famulo † Dei. N. quem omnipotens Deus ad imaginem suã fecit. Cede igitur non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te vrget potestas, qui te affigens Cruci suæ subiugauit. Illius brachium contremisce, qui deuictis gemitibus Inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus † hominis, neque moreris discedere ab homine: quoniam complacuit Christo in homine habitare: & ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis.

Imperat tibi † Deus. Imperat tibi maiestas † Christi. Imperat tibi Deus † Pater. Imperat tibi Deus † Filius. Imperat tibi Deus † Spiritus sanctus. Imperat tibi sedes Apostolorum † Petri, & Pauli, & ceterorum sanctorum. Imperat tibi sacramentum Cru † cis. Imperat tibi ministeriorum † ritus. Exi ergo transgressor, exi seductor plene omni dolo, & fallacia, & veritatis inimice, innocentium persequutor. Da locum durissime. Da locum impijssime. Da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis, qui te expoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua dirupit, qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente recogitas? Quid temerarie tra-

ctas?

ctas? Reus omnipotenti Deo es, cuius statuta transgressus es: Reus Filio eius Iesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti: Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti.

Si post hæc dicta adhuc Dæmoniacus non fuerit liberatus, deuote prosequatur.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Osanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam gehennæ ignibus deputasti: qui Vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret: velociter attende, accelera, vt eripias hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum, à ruina, & Dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Vrgeat illum dextera tua potens expellere à famulo tuo. N. ne diutius præsumat captiuum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in Filio tuo redemisti. Qui tecum viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Adiuro te ergo Draco nequissime, in nomine Agni immaculati, qui ambulauit super Aspidem, & Basiliscum, qui conculcauit Leonem, & Draconem: vt discedas ab homi ✝ ne, discedas ab Eccle ✝ sia (*Crux præcedens debet fieri super circumstantes in aere*) Contremisce, & effuge inuocato nomine Domini, quem inferi tremunt, cui virtutes cælorum, Potestates, & Dominationes subiectæ sunt, quem Cherubin, & Seraphin indefessis vocibus laudant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Imperat tibi Verbum caro factum. Imperat tibi Natus ex Virgine. Imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te, cũ Discipulos eius contemneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine: quo præsente, cum te ab homine separasset, neque porcorum gregem contingere præsumebas. Recede ergo nunc adiuratus in nomine eius, ab homine, quem ipse plasmauit. Durum est tibi velle resistere: durum est tibi contra stimulum calcitrare, quia quãto tardius exis, tanto maius tibi supplicium crescit, quia non hominem contemnis, sed illum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Iesu, Deus, & Dominus vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones: qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta dignatus es docere Dæmones effugare: cuius virtute motus tamquam fulgur de cælo Satanas decidit: tuum sanctum nomen cum timore, & tremore suppliciter deprecor, vt indignissimo mihi seruo tuo (data mihi venia omnium delictorum meorum) confidentiam, & possibilitatem donare digneris, vt hunc crudelem Dæmonem, & draconem, brachij tui sancti munitus potentia, fiducialiter, & securus aggrediar. Per te Iesu Christe Domine Deus noster, qui venturus es iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Adiuro

Adiuro te ergo omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio Satanæ, in nomine Iesu Christi Nazareni, qui post lauacrum Iordanis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit: vt quem de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili, non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo,† qui te humiliato famulo suo Iob in seruitutem redegit. Cede Deo,† qui te, & malitiam tuam in Pharaone, & in eius exercitu, per Moysen seruum suum in abyssum demersit. Cede Deo, † qui te per fidelissimum seruum suum Dauid de Rege Saul spiritualibus canticis procul fugauit. Cede Deo, † qui te in Iuda Scarioth proditore damnauit. Ille enim te diuinis † verberibus angit, in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens, & clamans dixisti: Quid nobis, & tibi fili Dauid? Venisti ante tempus torquere nos. Ille te perpetuis flammis vrget, qui in fine temporum dicturus est impijs: Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus Diabolo, & Angelis eius. Tibi enim impie, & angelis tuis vermes erunt, qui numquam morientur: tibi, & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium: quia tu es princeps maledicti homicidij, tu auctor incestus, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis inuentor.

Exi ergo † impie, exi † scelerate, exi † cum omni fallacia tua, quia hominem † templum suum voluit esse Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri † omnipotenti, cui omne genu flectitur. Da locum Domino Iesu † Christo, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui † sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum manifeste te strauit in Simone Mago; qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira condemnauit; qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percussit; qui te in Mago Barieu per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythonissa verbo imperans exire præcepit.

Discede ergo † nunc, discede † seductor, tibi † eremus sedes est, tibi habitatio serpens est. Humiliare, & prosternere: iam non est differendi tempus: ecce enim dominator Dominus proximat cito, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te eijcit, cuius oculis nihil occultum est: ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt: ille te excludit, qui tibi, & angelis tuis præparauit æternam gehennam: de cuius ore exiet gladius bis acutus: qui venturus est cum Patre, & Spiritu sancto iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Alia Adiuratio, siue Exorcismus, ad fugandum Dæmonem de oppressis, seu maleficiatis corporibus. §. 5.

Ante hanc Adiurationem (dum commode fieri possit) exorcizaturus (si Sacerdos sit) Missam celebrare debet, in qua subsequentes orationes pro oppresso, seu maleficiato dicet.

Oratio.

Oratio.

DEus, qui per Vnigenitum tuum, exclusa dominatione Diaboli, populum tibi fidelem aptasti: expelle quæsumus à famulo tuo N. cunctas diabolicæ illusionis insidias, & eum illibatum ab omni eius impugnatione conserua. Per eundem, &c.

Secreta.

MVnus Domine humilitatis nostræ pro petitione famuli tui oblatum, petimus vt gratanter assumas, & ab eius oppresione hostis maligni insidias, omnemq; potestatem benignus exclude. Per Dominum nostrũ, &c.

Post Commun.

CAelestis panis quem sumpsimus, Domine, & nobis indulgentiam tribuat, & famulum tuum N. ab antiqua hostis irrisione defendat. Per Dominum nostrum, &c.

Finita Missa, obseruatis omnibus, quæ in præcedenti §. præmittuntur, muniens se signo Crucis dicat.

In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, à cuius facie cæli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus pauescit: te supplex deprecor, vt inuocatione tui nominis, huius famuli tui N. anima à vexatione liberata, ad auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremque suum (diabolico depulso fœtore, & odore suauissimo Spiritus sancti percepto) sequatur Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, &c. ℟. Amen. Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro huius famuli tui N. a Diabolo oppressa infantia, qui etiam indignis inter pressuras præsidium donas. Exurge pro huius infantia velata, & noli diu retinere vindictam, qui nec ante conspectum parentis permisisti filium iudicari. Auxiliare quæsumus inimici furore vexato, nec sinas animam eius a Diabolo possideri, sed potius a malignis oppressionibus liberata, tibi referat gratias sempiternas. Per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde præcipiat illi, vt nomen suum prodat, adiurans in hunc modum.

Præcipio tibi (quicumque es) spiritus immunde in hoc corpore, per merita gloriosæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, per missionem Spiritus sancti, & per Aduentum eius, vt ostendas, & dicas mihi nomen tuum, & diem, & horam exitus tui cum signo aliquo.

Iterum præcipio tibi sub pœna excommunicationis maioris, & minoris, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & aliorum successorum ipsius beatissimi Petri Apostoli, vt ostendas, & dicas mihi nomẽ tuum, & diem, & horam exitus tui, cum signo aliquo.

Quod si multos esse in obsessi corpore responderit, Exorcista prænotatum exorcismum, Præcipio tibi, &c. *pluraliter legat. Si vero non responderit, aut se solum esse dixerit, vlterius progrediatur, dicens:*

Audi

AVdi ergo,audi.N. spiritus a Deo maledicte,& præcipitare perpetualiter in pœna æterna. Nefandissime,nequissime,Dei rebellis,mendacij pater,omnium proditor, radix omnium malorum, origo discordiæ, vitiorum fomes, insipiens, insensate,suffurator,hæretice, apostata, spurcissime,sceleratissime,fœtidissime,omni bono vacue,& omni malo plene,homicida, reprobe,fili perditionis,& maledictionis æternæ, hostis humani generis,vitæ raptor,iustitiæ declinator,origo auaritiæ, serpens vilissime, lupe rapacissime, derisio totius Angelicæ naturæ.

EXorcizo, & anathematizo te † siue vnus sis,siue plures, vt dicas mihi, quomodocumque in hunc famulum Dei consignatum, & initiatum diuinis mysterijs temere ingredi præsumpsisti, siue in cibo, vel in potu, vel quacumque malefica superstitione, vel præstigijs quomodocumque super hunc famulum Dei factis:quæ quidem prastigia, & maleficia omnia,& singula,virtute,& potestate inuictissimi Regis omnium Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui in hunc mundum apparuit, vt dissolueret opera Satanæ, dissoluo, & dissoluta esse decerno. Et sicut per beatos Apostolos sanctos Petrum, & Paulum dissoluit omnia maleficia, & præstigia facta per illud membrum tuum Simonem Magum; & sicut per Bartholomæum sanabat omnes sauciatos a Dæmonio inhabitante Idolum Astaroth; & per sanctum Prophetam Moysen detegebat præstigia Magorum Aegyptiorum Iannes, & Mambres in digito omnipotentis Dei; ita & nunc in eodem digito Dei,scilicet Spiritus sancti,qui ex Patre,Filioque eius procedit,dissoluimus omnes sortilegas artes, & præstigia super hunc famulum suum, siue atrocitate inuidiæ tuæ,(qua maligne,& immunde spiritus insidiaris humanæ saluti secundum impiam voluntatem tuam) siue iusta dispensatione omnipotentis Domini Dei nostri, siue etiam exigentibus peccatis suis, vel parentum suorum, intra quæ interpono copiosam redemptionem pretiosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi,qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Item præcipio tibi in nomine Dei Pa † tris omnipotentis,& Fi † lij eius, Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus † sancti, vt exeas,& recedas ab hoc famulo Dei, sine aliqua ipsius læsione, ita quod de cetero ad ipsum non præsumas accedere, nec ad momentum in eo habitare,nec perturbare sensus eius interiores,vel exteriores, a planta pedis vsque ad verticem, neque humores commouere, neque inde siccationes ducere, vel quacumque imbecillitate vexare,neque horis diurnis,vel nocturnis eius quietem impedire.

Quod si pertinaciter huiusmodi mandatis,& sentētijs nostris (immo verius Dei, & Domini nostri Iesu Christi summi, & inuictissimi Imperatoris nostri) obedire cum effectu contempseris, suppliciter exoramus eundem Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, quatenus per virtutem suæ sacratissimæ Passionis, & per merita Beatissimæ Virginis Mariæ Matris suæ,& sanctorum Angelorum,qui vident reuelatam faciem Dei Patris omnipotentis,& per merita patrum nostrorum Patriarcharum, Prophetarum,

Aposto-

Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum, quatenus (ſicut contra illum contemptorem, & induratum Pharaonem) mittat Angelum ſuum ſanctum contra te, qui te catenis igneis alligatum cum ſocijs tuis apoſtaticis angelis, mergi faciat in ſtagnum ignis ardentis, & ſulphuris, vbi cruciaberis die, ac nocte, & fumus tormentorum tuorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

Vrgeat ergo te Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius. Vrgeant te Angeli. Vrgeant te Patriarchæ, & Prophetæ. Vrgeant te Apoſtoli, & Euangeliſtæ. Vrgeant te Martyres, & Confeſſores. Vrgeant te Virgines. Vrgeant te omnes ſancti, & electi Dei. Deficiant ergo omnes artes, & inſidiæ tuæ indies, & omnibus horis.

Reddite ergo (ò rebelles) Dei fortitudinem, reddite animæ ſanitatem, non tentetis, nec morti tradatis: non in eſca, non in potu, non in locis vbi habitat, non ſuperueniatis vigilanti, nec dormienti, nec ei noceatis, neque vocem ſuffocetis, nec impediatis quærentem vitam æternam.

Recedite ergo per nomen æterni Dei à capite, à capillis, à vertice, à frõte, ab oculis, a lingua, a ſublingua, a labijs, a naribus, a collo, a maxillis, a dentibus, a gutture, a gingiuis, ab ore, a palato, a cerebro, a panniculis cerebri, a cilijs, a ſupercilijs, a pilis, a pedibus, a tibijs, a genibus, a cruribus, a partibus verecundis, a renibus, a lateribus, ab inteſtinis ſuperioribus, & inferioribus, a fœmore, a ventre, a ſtomacho, a corde, a ſpatulis, ab humeris, a pectore, ab vberibus, a brachijs, à manibus, ab vnguibus, ab oſsibus, a neruis, a venis, a medullis, a pulmone, a compaginibus membrorum ſuorum, de omnibus iuncturis, & a toto corpore, & ab omnibus partibus corporis, & de veſtimentis eius intus, & foris, & de tota carne, de tota pelle, vbicumque latitatis, & latere poteſtis: ſeparate vos ab hac creatura Dei: & ſicut ſeparauit Dominus Deus cælum a terra, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, bonum a malo, ſic ſitis ſeparati ab iſta creatura Dei immundiſſimi ſpiritus, nunc, & ſemper, per eum, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℞. Amen.

Hic Sacerdos ponat librum ſuper caput obſeſſi, & oſtendendo ei Crucifixum dicat.

Per iſtius libri orationes, & per omnes earum virtutes, & per omnia ſigna, & verba Saluatoris noſtri, & per omnes orationes quæ fiunt in cælo, & in terra, & per omnes virtutes cælorum, in virtute, & per virtutem ſanctorum Dei nominum, præcipio vobis, vt deinceps hic manere non debeatis, nec poſſitis, ſed faciatis quæcumque vobis iuſſerimus, alioquin in ſtagnum ignis, & ſulphuris vos præcipitabimus æternaliter concremandos.

In quacumque ergo parte huius corporis ſitis, ſiue intus, ſiue foris, venite, & videte ſignum ſanctæ Crucis a ſummo creatore Domino noſtro Ieſu Chriſto conſecratum, quia per virtutem illius nobis obedire tenemini. Et per ipſum vos ligamus, vt coram nobis contra veſtram voluntatem venire debeatis, quoniam verba Dei, quæ de ore noſtro exeunt, ſunt ignes feruen-

tifsimi, qui vos comburent æternaliter, & hoc est signum, per quod totus mundus tremit, & omnis creatura contremiscit, & vos rebelles estis nostro, ac vestro Creatori.

Maledicti ergo, & excommunicati, atque blasphemi, sitis in pœna æternali, & nulla sit vobis requies in aliqua hora, si statim non exieritis obedientes præceptis meis, vobis factis in virtute Iesu Christi, & verbis, quæ de illo dicuntur, qui orbem contremere facit, in cuius nomine, virtute, ac potestate vobis præcipio, vt statim recedatis. Per eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde proferat sententiam contra Dæmones rebelles, dicens.

Quia vero in hoc iudicio tãquam Vicarius illius summi iudicis potestate mihi tradita ab illo, quando Discipulis suis dixit: Quodcumque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in cælis, nomine illius inuocato, & beatæ Virginis Mariæ eius Matris, nec non beatorum Confessorum Prosperi, Geminiani, & Zenonis, ac Sanctorum Cypriani, & Iustinæ Martyrum, ac totius Curiæ triumphantis, ratificando, & approbando latam superius sententiam per summum Creatorem: ita ego pronuncio tamquam Vicarius vt supra, & declaro, ac impero vobis, quod sine mora, ac omni occasione postposita, hanc creaturam Dei, quam tantum molestatis, amodo relinquatis suæ pristinæ sanitati, & numquam deinceps molestare valeatis.

Item impero, mando, iubeo, & præcipio auctoritate, qua fungor, Lucifero, Beelzebub, Satanæ, & omnibus furijs infernalibus, quod statim, & sine mora vos in stagnum ignis, & sulphuris, & in profundum inferni præcipitent, vt supra sententiatum est, & indispensabiliter vos ligent, & affligant omnibus pœnis vsque in diem iudicij.

Et quia vestro Creatori rebelles fuistis, & nobis, & præceptis suis, Beatæ Virginis, & dictis Apostolorum, & Euangelistarum, Martyrumque, & Confessorum omnium dicta, lectaque neglexistis, vos omnes condemno ad infernale supplicium, & ignis, qui vos comburat, ex ipsius præsentia Dei exeat, ipso iubente, qui vna cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Si post hæc omnia Energumenus adhuc ab obsidente Dæmone liberatus non fuerit, quoties opus fuerit, supradicta confidenter, & audacter repetantur. Poterunt etiam aliqua ex infra annotatis Euangelijs superaddi.

In illo tempore: Respondens vnus de turba dixit ad Iesum. Magister attuli filium meum ad te, &c. *Vt in Feria 4. Quatuor temporum Septembris.* Recumbentibus vndecim Discipulis, &c. *Vt in Festo Ascensionis Dominicæ.* Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur a Diabolo, &c. *Vt in Dominica 1. Quadragesimæ.* Erat Iesus eijciens Dæmonium, &c. *Vt in Dominica 3. Quadragesimæ.* Dicebat Iesus turbis similitudinem hanc. Arborem fici, &c. *Vt in Sabbato Quatuor temporum Septembris.* In principio erat Verbum, &c. *Vt in die Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.*

Poterunt præterea Psalmi aliqui ex subsequentibus pro opportunitate temporis

ris recitari, Psal. Iudica Domine nocentes me, &c. *Vt in Feria 2. ad Matut. Psal.* Exurgat Deus, & dissipentur, &c. *Vt in Feria 4. ad Matut. Psal.* Eripe me de inimicis meis Deus meus, &c. *Vt in Feria 4. ad Matut. Psal.* Deus quis similis erit tibi, &c. *Vt in Feria 6. ad Matut. Psal.* Deus laudem meam ne tacueris, &c. *Vt in Sabbato ad finem Matut. Psal.* Qui habitat. *Vt in Complet. Psal.* Si vere vtique iustitiam loquimini, &c. *Vt in Feria 4. ad Matut. quem sæpius Exorcista repetet, eo quod magni sit valoris, & efficaciæ ad expellendos Dæmones.*

Denique dicat Symbolum Athanasii: Quicumque vult, &c. *Vt in Dominica ad Primam: & Orationem illius Sancti, cuius nomine appellatur obsessus: nec non & aliorũ, quos dum incolumis esset, speciali obsequio, ac veneratione colebat.*

Si Dæmoniacus his omnibus recitatis, nondum fuerit ab immundo spiritu absolutus, & ob aliquam causam dimittenda sit coniuratio, tunc præcipiet omnibus spiritibus remanentibus in corpore, eos cogendo, vt recedant a capite, a corde, & a stomacho, & descendant ad partes inferiores corporis, puta, in vngues mortuos pedum, &c. Et cum illuc descenderint, faciat illis sequens præceptum.

Præcipio vobis omnibus spiritibus immundis, qui estis in hoc corpore, in nomine sanctissimæ Trinitatis, Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti, & sub pœna immersionis in stagnum ignis, & sulphuris per annos mille, statim ab exitu vestro, quatenus non habeatis auctoritatem, seu potestatem ascendendi superius ad caput, vel ad membra huius creaturæ Dei, & ipsam lædendi: sed cogamini manere deorsum, donec vocati fueritis a me, seu ab aliquo alio Exorcista, vel permissi a Deo ascendere, ad honorem ipsius, ad salutem huius creaturæ Dei, & ad confusionem vestram, vel augmentum pœnarum vestrarum: & sinatis ipsam orare, comedere, bibere, quiescere, & omnia alia agere, quæ spectant ad honorem Dei, & salutem animæ suæ. Et sicut Christus mortuus est, & descendens ad inferos dixit: Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ,, & ibi ligauit superbissimum Luciferum: ita auctoritate, qua fungor, ligo vos in loco vobis assignato. In nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti. Amen.

Gratiarum actio pro Energumeno liberato. §. 6.

CVm egressi fuerint spiritus immundi de corpore, primum Exorcista præceptum sequens ponat omnibus spiritibus, qui de illo corpore obsesso egressi sunt.

Præcipio vobis omnibus spiritibus immundis, qui egressi estis ex hoc corpore, in nomine sanctissimæ Trinitatis, Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti, quod non habeatis auctoritatem, potestatem, seu virtutem ostendendi vos huic creaturæ Dei, nec faciendi illi aliquam illusionem, tam phantasticam, quam realem, nec possitis illam offendere, neque lædere tam in corpore, quam etiam in anima, nec denuo possitis regredi ad illam vexandam, nec mittere alios Dæmones loco vestrum: sed sitis constricti su-

prædicto præcepto ire ad sedes infernales, vel ad loca vobis deputata a Deo, vbi nullam creaturam, tam rationalem, quam irrationalem lædere valeatis. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Deinde dicatur Hymnus, Te Deum laudamus, *vt supra. §. 4. cap.* 1. *fol.* 13. *Quo finito dicat Exorcista*. ℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eo. ℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

GRatias agimus tibi Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: gratias agimus tibi Christe, Verbum æterni Patris: gratias agimus tibi Spiritus alme: gratias agimus sanctis omnibus tum Angelis, tum hominibus, quia omnipotente virtute Dei per nostras manus elisus est Draco. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, miserere famulo tuo N. quem a diabolica potestate liberasti, & in eius adiutorium sanctum dirige Michaelem, qui eum protegat, visitet, atque defendat ab omnibus inimicis suis. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulum tuum N. ab omni vexatione Satanæ, & ministrorum eius, mitte in eum septiformem Spiritum sanctum tuum paraclетum de cælis. ℟. Amen. Spiritum sapientiæ, & intellectus. ℟. Amen. Spiritum consilij, & fortitudinis. ℟. Amen. Spiritum scientiæ, & pietatis. ℟. Amen. Adimple eum Spiritu timoris tui, & signa eum in vitam propitiatus æternam. ℟. Amen. Oremus.

BEne ✝ dicat tibi Dominus noster Iesus Christus, & custodiat te. Ostendat tibi faciem suam Dominus, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Sanctificet te Deus signaculo sanctæ Cru ✝ cis suæ, vt recedant a te omnes inimici tui. Defendat te Iesus Christus Filius Dei viui per signum sanctæ Cru ✝ cis. Defendat te ✝ Deus ab omnibus malis præsentibus, & futuris, exterioribus, & interioribus. Signo te signaculo sanctæ Cru ✝ cis, vt a persequutionibus Diaboli liberet te Deus. Signaculo huius sanctæ Cru ✝ cis prosternantur ipsi Diaboli aduersarij tui, & fugiant a te. Per istius sanctæ Cru ✝ cis signaculum liberet te Deus a periculis mundi, & mittat sanctos Angelos suos, qui te custodiant. Benedictio Dei Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti sit super te. Benedictio Iesu ✝ Christi sit super te. Virtus sanctæ Cru ✝ cis sit super te, intra te, circa te, ante te, post te, & in omnibus partibus tuis. Benedictio ✝ Beatæ Mariæ Matris Dei sit super te. Benedictio ✝ Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei sit super te. ℟. Amen.

EXPLICIT PROCESSIONARIVM.

SE-

SECVNDA PARS

Manualis, siue Funerale.

De Communione infirmorum Fratrum. Caput I.



VM Frater aliquis grauiter infirmus cõmunicandus fuerit, ad cymbali pulsationem Fratres congregentur: & praecedentibus duobus Fratribus sine rochettis, quorum alter portet nolam, alter vero vrceum aquae benedictae cum aspersorio, & Conuentu per ordinem in cappis cum accensis candelis insequente; Superior, vel alius (cui ipse iniunxerit) indutus Alba, vel superpelliceo cum stola albi coloris ingreditur Ecclesiam, praeeuntibus ceroferarijs in rochettis, stansq; ibi ante gradus Altaris dicit: In nomine Pa ✝ tris, &c. ℣. Introibo, &c. ℣. Adiutorium nostrum, &c. Confiteor Deo, *cum reliquis, vt in Missa.*

Quod si eo tempore Missam finierit, praetermissa confessione accedit ad altare, & facta genuflexione, extrahit è custodia, seu sacrario pyxidem paruam, eamque super aram collocat, & genuflectit, adoratoque Sacramento surgit. habensque velum sericum a collo sursum pendens, cuius vtraque extremitas ad pectus vsque descendat, accipit cum eo sacram pyxidem reuerenter, & proceditur ad locum infirmorum processionaliter modo supradicto.

Inter eundum igitur Psalmus, Miserere mei, *& aliqui alij (si opus fuerit) recitabuntur. Cum vero ingressus fuerit ad infirmum, Sacerdos dicat.* ℣. Pax huic domui, *& respondeatur a circumstantibus genuflexis:* ℟. Et omnibus habitantibus in ea. *Et deposito calice, seu custodia supra mensam, vel Altare mappa mundissima coopertum, & corporali desuper explicato, genuflectit Sacramento, surgensque aspergit aegrotum in modum Crucis, deinde circumstantes, dicens Antiphonam,* Asperges me Domine, &c. Miserere mei, &c. ℣. Gloria Patri, &c. *Et repetita Antiphona, Sacerdos versa ad infirmum facie dicit.*
℣. Saluum fac seruum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super hunc famulum tuum ostende virtutem, vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Deinde accedens propius ad infirmum, quærat ab eo suaui, ac molli sermone, An velit confiteri? *Quod si annuerit (amotis arbitris) illius confessionem audiat. Deinde moneat eum, vt pro leuioribus culpis dicat*, Confiteor, &c. *Quo dicto Sacerdos vna cum ceteris qui adsunt dicat*, Misereatur tui, &c. *Et postea solus subiungat*, Indulgentiam, absolutionem, &c.

Post hæc dicat ægrotanti: Frater, facta iã de culpis generali confessione, superest, vt fidem constanti animo cõfitearis, ac pro fidei orthodoxæ Articulis saltem dicas, Credo in Deum, &c. *Quod si ita sit infirmitate grauatus, vt nequaquam id solus dicere valeat, circumstantes adiuuent eum dicentes simul*, Credo in Deum, &c. *vsque ad finem*.

Mox Sacerdos accipiens Sacramentum in calice, vel patena, proponat illud infirmo, dicens: Ecce Frater, corpus Domini nostri Iesu Christi, quod tibi deferimus. Credis hoc esse corpus eius verum, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra? *Quo respondente*, Credo, *subiungat*: Igitur nunc superest, charissime frater, vt post peccatorum tuorum, & fidei factam confessionem, te etiam indignum confitearis, & repute, qui possis accipere tantum Dominum: atque in huiusmodi confessionis signum ter (pectus tundens) dicas. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.

Quo facto communicet eum, dicens: Accipe Frater viaticum corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat ad vitam æternam. ℟. Amen. *Et statim post receptionem Sacramenti dicat*. Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Postea abluat digitos, & huiusmodi ablutio tribuatur infirmo, vel in Piscinam proijciatur.

His omnibus peractis dicat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: te fideliter deprecamur, vt accipienti fratri nostro Sacramentum Corporis Domini nostri Iesu Christi Filij tui, tam corpori, quàm animæ prosit ad remedium sempiternum.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Mox subiungat: Bene ✝ dictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Si infirmus vomituum ægritudine laborat, & ob hanc, vel aliã causam sacrosan-

ſanctum Eucharistiæ Sacramentum eidem ſumere non licet, Sacerdos proponat ei ante oculos Sacramentum, moneatque ægrotum, vt illud reuerenter adoret, dicens ſimul cum eo.

Adoro te Corpus Saluatoris mei Ieſu Chriſti, & benedico tibi, quia per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum: Domine ſalua animam meam.

Poſtremo Sacerdos leniter admoneat infirmum, vt petat Sacramentum Extremæ vnctionis: & ſic reuertantur in Sacriſtiam ordine, quo venerunt: recitabitur vero inter regrediendum Hymnus Te Deum, *ſeu* Pange lingua; *cumque ad Altare peruentum fuerit, collocato Sacramento ſuper Altare Sacerdos genuflexus dicit,* Panem de cælo, &c. *cum oratione ſanctiſſimi Sacramenti. Deinde ſurgens accipit vtroque manu pyxidem, & vertens ſe ad populum facit ſuper illum cum ea ſignum crucis, nihil dicens, Sacramentumque in ſacrario recludit, & extinctis candelis, in ſilentio omnes recedunt.*

DE FIDEI CATHOLICAE PROFESSIONE ab aliquibus infirmis fieri conſueta. Cap. II.

CVm aliquando ægrotantes viri pij, & Catholicæ fidei Zelatores conſueuerint, vel in teſtamento, vel extra illud fidem Catholicam profiteri, iuxta Symbola, quibus vtitur Sancta mater Eccleſia; vel etiam iuxta formam ex decreto ſacri generalis Concilij Tridentini *à ſancta Sede Apoſtolica traditam, ad teſtationem, atque declarationem fidei Orthodoxæ, in qua vixerunt, & in qua decedunt: valde laudanda eſt, his præſertim temporibus, pia hæc conſuetudo, atq. ad eam faciendam fideles Catholici, qui decumbunt, inuitandi, & adhortandi ſunt, vt vel voce, vel etiam ſcripto ſanctam Orthodoxam fidem profiteantur, & proteſtentur. Qua de cauſa & eandem formam hic inſerere viſum eſt; cuius tenor is eſt.*

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine: & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum, & viuificantem; qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem

pec-

peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector.

Item, sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarũ, admitto: nec eam vmquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta nouæ legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis; licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatoriũ sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; fieri que conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem: quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari: similiter & Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec nõ aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse; atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem á Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cetera item omnia a sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hęreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas

tas

tas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Aut fiat sequens protestatio, seu testamentum quoddam Fidei, cuilibet Christiano iam morituro valde vtile.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego N. infælix peccator, redemptus pretiosissimo sanguine Domini nostri Iesu Christi per magnam ipsius erga me dilectionem, nō per meritum meum, fateor, & agnosco publice, vel hoc chirographo, vel his verbis meis coram omnipotenti Deo, ac Beatissima Virgine Dei Genitrice Maria, & sancto Angelo Dei, cuius custodiæ ab ortu meo traditus fui, atque omnibus Angelis, & Sanctis, qui in cælo sunt, & coram vobis quotquot hic adestis, quod ego sum, & esse volo vere obediens Sanctæ Matris Ecclesiæ Filius, quemadmodum sincere Christianum, & catholicum oportet; atque in ea sancta Fide Catholica, quam sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia profitetur, docet, & prædicat: & in qua omnes Sancti decesserunt, decedere, & mori volo, & intendo: nec ad momentum temporis diutius viuere affecto, nisi quantum diuinæ placuerit pietati, cui in omnibus conformiter meam subijcio voluntatem.

Credoque, & fateor generatim omnes, & singulos articulos Fidei Christianæ, quibus credendis vnusquisque Christifidelis, & vere Catholicus obligatus existit, præcipue vniuersas particulas in duodecim articulis Fidei Christianæ vel aperte expressas, vel rationabiliter inclusas, secundum quod à Spiritu sancto, per sanctos duodecim Apostolos ex veritate Euangelica nobis traditi sunt.

Ad hæc credo, & adhæreo illorum interpretationibus, siue declarationibus, non quorumuis, aut quibusuis, sed ijs, quæ per sanctos Patres editæ, a sanctissimis Concilijs receptæ, admissæ, approbatæ, confirmatæque sunt.

Et vt breuiter dicam: Credo quidquid vere Christianus, & Orthodoxus credere debet, & tenetur.

In hac tam immobili, tamque firma fide gaudeo ego ex toto corde mori, tenens, ac offerens hanc scripturam, quam habeo in manibus meis tamquā firmissimum, & tutissimum aduersus omnes, insultus, insidias, ac fraudes Diaboli scutum.

Et si (quod Deus auertat) fieret, vt ego vel ex pusillanimitate propter tremendum diuinum iudiciū, cui astare habeo, vel impugnatione, aut sug-

gestione Diaboli, aut debilitate rationis, aut grauitate morbi, seu violentia ægritudinis quidquam aduersus prædicta cogitarem, loquerer, facerem, aut in aliquid perfidiæ, diffidentiæ, seu desperationis, vel dubitationis caderem, hoc ipsum qualecumque futurum esset, ex nunc, pro vt ex tunc, sana mente existens, reuoco, annullo, ac pro reuocato, & annullato, & pro non dicto & facto habere volo, intendo, & declaro, eo quod non animo sano, & deliberato id eueniret; me penitus submittens diuinæ pietati, illudque maledico, detestor, & anathematizo hic nunc in vestra omnium præsentia, quemadmodum facerem, si tunc compos mentis essem, & bene valerem.

Super quibus omnibus appello, & rogo vos omnes, quicumque hic præsentes estis, teque sancte Angele Dei meum custodem, vt huius protestationis coram omnipotente Iudice, & curia cælesti testimonium feratis.

Quod vero in me est, ignosco, & remitto omnes iniurias mihi quomodocumque irrogatas, id ipsum petens mihi fieri ab his, quos vel verbis, vel factis vmquam offendi.

Petoque, & ex toto corde desidero particeps fieri omnium bonorum operum, quæ a sanctis hominibus per totam Ecclesiam, vel hactenus facta sunt, vel adhuc fient: præcipue autem amarissimæ passionis, & innocentissimæ mortis Domini nostri Iesu Christi: cum qua & mea naturalis, ac voluntaria mors stet pro omnibus peccatis meis. Atque vtinam neque contra Deum, neque contra leges eius, neque contra Superiores, neque contra proximum, aut me ipsum vmquam peccassem!

Postremo gratias ago omnipotenti Deo pro omnibus beneficijs ipsius mihi collatis, commendoque corpus, & animam in manus eius, & in amaritudinem passionis Domini nostri Iesu Christi, cui laus, & honor, & gloria nunc, & in aeternum. Amen.

DE EXTREMA VNCTIONE. Caput III.

Sacramentum Extremæ vnctionis nulli administrandum est, nisi in articulo mortis, cum iam ægrotus de vita manifeste periclitatur. In huius igitur Sacramenti administratione hic ordo seruabitur.

Sacrista (pulsato primum cymbalo) de necessarijs ad infirmum vngendum diligenter prouideat, & Fratres (postquam in Sacristia congregati fuerint) pergant processionaliter ad locum infirmorum in hac forma.

Præcedit Frater absque rochetto, portans vrceum aquæ benedictæ cum aspersorio, quem insequuntur Acolythi duo in rochettis, accensos cereos deferentes, & Frater alius similiter indutus rochetto Crucem paruam portans. Deinde procedit Sacerdos indutus Alba, vel superpelliceo cum stola coloris violacei, sacri olei vas in manibus deferens: quem sequitur Conuentus per ordinem, iunioribus præcedentibus: inter eundum vero sequentes Psalmi per choros vicissim (quoties oportuerit) recitabuntur.

Psal-

Psalmus. 40.

BEatus, qui intelligit super egenum,& pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.
Dominus conseruet eum,& viuificet eum,& beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.
Ego dixi Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.
Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomen eius?
Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.
Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.
Verbum iniquum constituerunt aduersum me: numquid qui dormit, non adijciet vt resurgat?
Etenim homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.
Tu autem Domine miserere mei: & resuscita me,& retribuam eis.
In hoc cognoui, quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.
Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo,& in sæculum: fiat, fiat.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus. 141.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum.
Effundo in conspectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.
In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognouisti semitas meas.
In via hac, qua ambulabam: absconderunt superbi laqueum mihi.
Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.
Perijt fuga a me: & non est qui requirat animam meam.
Clamaui ad te Domine: dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.
Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.
Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me.
Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectāt iusti, donec retribuas mihi.
Gloria Patri, &c.

Cum ingressus fuerit Sacerdos ad infirmum, primo dicet: Pax huic domui. *Et respondebitur a circumstantibus:* Et omnibus habitantibus in ea. *Deinde posito sacri olei vase supra Altare, seu mensam decenter ornatam, aspergit ægrotum aqua benedicta in modum Crucis, deinde cubiculum, dicens Antiph.*

Asperges me Domine, &c. ℣. Miserere mei Deus, &c. ℣. Gloria Patri, &c. *Et post repetitionem Antiph. dicat Versus, & Orationes sequentes.* ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

INtroeat, Domine Iesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna fælicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus Dæmonum: adsint Angeli pacis: domumque hanc deserat effugata discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum, & bene ✝ dic nostræ conuersationi, & sanctifica nostræ humilitatis ingressum: qui sanctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEprecemur Fratres Dominum nostrum Iesum Christum, vt benedicendo bene ✝ dicat hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi seruire, ad considerandum mirabilia de lege sua. Auertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione: ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus.

EXaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox infirmus (ad insinuationem Sacerdotis) humiliter Priorem, & Fratres deprecetur, vt si quid erga eos deliquit, sibi dimittant: Et Sacerdote respondente ex parte Fratrum, quod omnia dimittuntur ei, dicat ægrotus, Confiteor Deo, &c. *vel (si illud dicere nequiuerit) tundens pectus suum (si commode poterit) dicat,* Mea culpa: De vniuersis peccatis meis: precor vos orare pro me. *Deinde dicatur a circumstantibus,* Misereatur tui, &c. *Et Sacerdos solus subiungat.* Indulgentiam, absolutionem, &c. *Postea dicat huiusmodi deprecationē.*

DEus omnipotens, Saluator, & Redemptor generis humani, qui Apostolis suis dedit ligandi, atque soluendi potestatem, ipse te absoluere dignetur a cunctis iniquitatibus tuis: & quantum meæ fragilitati permittitur, auxiliante ipso, sis ✝ absolutus ante faciem illius. Qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde conferat infirmo virtute Bullarum nostri Ordinis Indulgentiam plenariam in hac forma.

COncedo tibi plenariam Indulgentiam peccatorum tuorum, facultate mihi concessa, & commissa virtute Bullarum Ordinis nostri. Quod si præsens mortis periculum (Deo fauente) euaseris, sit tibi hæc indulgentia pro vero mortis articulo reseruata.

Finita hac absolutione Fratres incipiant Psalmos Pœnitentiales, Sacerdosque offerat infirmo Crucem osculandam: & deposita cruce aperiat sacri olei vasculum, & absolute dicat hanc Orationem.

In

IN nomine Pa † tris,& Filij,& Spiritus sancti. Extinguatur in te omnis virtus Diaboli,per impositionem manuum nostrarũ: immo per inuocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. ℟. Amen.

Mox intincto pollice in Oleo inungat infirmum cum signo Crucis in septem corporis partibus, vt infra notatur: & ad vnamquamque vnctionem (simul dicendo, & vngendo (dicat propriam cuiusque partis orationem, quæ est forma huius Sacramenti.

Si vero dubitetur, an infirmus viuus, vel mortuus sit: tunc vngat cum hac conditionali forma. Si viuus es, per istam sanctam vnctionem, &c. *vt infra.*

Primum ad oculos clausos exterius.

PEr istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum. ℟. Amen.

Sacerdos, vel quilibet alius Frater cum stuppa seu vomtia locum inunctum tergat, reponens illam in vase mundo. Quod etiam fiat per singulas vnctiones.

Ad Aures.

Per istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per auditum. ℟. Amen.

Ad nares.

Per istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per odoratum. ℟. Amen.

Ad os, siue labia extrinsecus.

Per istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per gustum, vel loquutionem. ℟. Amen.

Ad palmas manuum.

Per istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per tactum. ℟. Amen.

Ad pedes in superiori parte.

Per istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per incessum. ℟. Amen.

Ad lumbos, seu renes.

Sequens vnctio vbi non fuerit in vsu omittatur, sed Monialibus nequaquã fiet.

Per istam sanctam † vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per ardorem libidinis. ℟. Amen.

Quòd si infirmus ita grauatus sit, vt absque salutis discrimine moueri non possit, hanc vnctionem vltimam in altero ex lateribus fieri satis erit.

Peracta vnctione, Sacerdos qui inunxerit, abluat pollicem cum mica panis, & aqua in vase mundo, & tergat cum manutergio ad hoc a Sacrista praeparato, & huiusmodi ablutio vna cum stuppis igne crematis in piscinã proijciatur.

His peractis, Sacerdos prosequatur vna cum Fratribus Psalmos Pœnitentiales (si adhuc finiti non sint) & Litanias, vt infra.

Psalmi Pœnitentiales.

Antiphona. Ne reminiscaris.

Psalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequò?

Conuertere Domine, & eripe animã meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter oẽs inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbẽtur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubescant valde velociter.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Psalmus 31.

BEati quorum remissę sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die, ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dũ configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum me iniu-

stitiam

ſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.
Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: in tempore opportuno.
Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.
Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.
Nolite fieri ſicut equus, & mulus: quibus non eſt intellectus.
In chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris: ſperantē autem in Domino miſericordia circumdabit.
Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini oēs recti corde.
Gloria Patri, &c.

Pſalmus 37.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Quoniam ſagittæ tuę infixę ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.
Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.
Quoniã iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.
Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: a facie inſipientiæ meæ.
Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.
Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.
Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus a te non eſt abſconditus.
Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorũ, & ipſum non eſt mecũ.
Amici mei, & proximi mei: aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.
Et qui iuxta me erant de longe ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam.
Et qui inquirebãt mala mihi, loquuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.
Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.
Et factus ſum ſicut homo nõ audiēs: & non habens in ore ſuo redargutiones.
Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.
Quia dixi, nequando ſupergaudeãt mihi inimici mei: & dum commouētur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.
Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.
Quoniam iniquitatem meam annũciabo: & cogitabo pro peccato meo.
Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.
Qui retribuunt mala pro bonis detrahe-

trahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus:ne diſceſſeris a me.

Intende in adiutorium meum. Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto,&c.

Pſalmus. 50.

MIſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuã.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui,& malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis,& vincas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti:incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtati mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor:lauabis me,& ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuã a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me a facie tua:& ſpiritum ſanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui:& ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de sãguinibus Deus,Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Hieruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri,&c.

Pſalmus. 101.

DOmine exaudi orationem meã: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die inuocauero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei:& oſſa mea ſicut cremiũ aruerũt.

Percuſſus ſum,vt fœnum,et aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhæſit os meũ carni meæ.

Similis

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui: & factus sum sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduersum me iurabant.
Quia cinerem tamquam panem man ducabam; & potum meum cum fletu miscebam.
A facie iræ indignationis tuæ: quia eleuans allisisti me.
Dies mei sicut vmbra declinauerũt: & ego sicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generatione & generationem.
Tu exurgens Dñe misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes Reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium: & non spreuit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.
Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.
Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.
In conueniendo populos in vnum: & Reges, vt seruiant Domino.
Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.
Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione, & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.
Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascẽt:
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.
Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus. 129.

De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctẽ: speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.

Psalmus. 142.

DOmine exaudi orationem meã, auribus percipe obsecrationẽ meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.
Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Quia persequutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.
Collocauit me in obscuris, sicut mortuos saeculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.
Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.
Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum Domine, viuificabis me in aequitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.
Gloria Patri, &c.
Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIAE.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Sancta Maria. Ora pro eo.
Sancte Michael. ora.
Omnes sancti Angeli, & Archangeli. Orate pro eo.
Sancte Abel. ora.
Omnis chorus iustorum. orate.
Sancte Abraham. ora.
Sancte Pater Elia. ora.
Sancte Ioannes Baptista. ora.
Omnes sancti Patriarchae, & Prophetae. orate.
Sancte Petre. ora.
Sancte Paule. ora.
Sancte Andrea. ora.
Sancte Ioannes. ora.
Omnes sancti Apostoli, & Euangelistae. Orate pro eo.
Omnes sancti Discipuli Domini. Orate pro eo.
Omnes sancti Innocentes. orate.
Sancte Stephane. ora.
Sancte Laurenti. ora.
Sancte Angele. ora.
Omnes sancti Martyres. orate.
Sancte Siluester. ora.
Sancte Augustine. ora.

San-

Sancte Cyrille. ora.
Omnes sancti Pontifices, & Confessores. orate pro eo.
Sancte Ioseph. ora.
Sancte Benedicte. ora.
Sancte Francisce. ora.
Sancte Alberte. ora.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ. orate pro eo.
Sancta Anna. ora.
Sancta Maria Magdalena. ora.
Sancta Lucia. ora.
Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ. orate pro eo.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. intercedite pro eo.
Propitius esto. Parce ei Domine.
Propitius esto. Libera eũ Domine.
Propitius esto. Libera.
Ab ira tua. Libera.
A periculo mortis. Libera.
A mala morte. Libera.
A pœnis inferni. Libera.
Ab omni malo. Libera.
A potestate Diaboli. Libera.
Per Natiuitatem tuam. Libera.
Per Crucem, & Passionem tuam. Libera eum Domine.
Per mortem, & sepulturam tuam. Libera eum Domine.
Per gloriosam Resurrectionem tuã. Libera eum Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuã. Libera eum Domine.
Per gratiam Spiritus sancti paracliti. Libera.
In die Iudicij. Libera.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt ei parcas. Te rogamus.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DOmine Deus, qui per Apostolum tuum loquutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit dimittentur ei: cura quæsumus Redemptor noster gratia Spiritus sancti languores huius infirmi, & sua sana vulnera, eiusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis ab eo expelle, plenamq. ei interius, exteriusq. sanitatem misericorditer redde: vt ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus.

REspice quæsumus Domine famulum tuum N. fratrem nostrum, infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoue, quam creasti: vt castigationibus emundatus, se tua sentiat medicina saluatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundẽdo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad inuocationem tui nominis benignus assiste, vt famulum

tuum N. fratrem nostrum ab ægritudine liberatum, & sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ, sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen. Oremus.

DOminus Iesus Christus apud te sit, vt te defendat: intra te sit, vt te reficiat: circa te sit, vt te conseruet: ante te sit, vt te deducat: post te sit, vt te custodiat: super te sit, vt te bene ✝ dicat. Qui in Trinitate perfecta viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Postmodum aspergat infirmum ter in modum Crucis, dicens: Benedictio Dei omnipotentis Pa ✝ tris, & Fi ✝ lij, & Spiritus ✝ sancti descendat super te, & maneat semper. ℞. Amen.

Et relinquatur ibi Crux, & collocetur ita, vt infirmus possit Crucifixum aspicere, & adorare.

His peractis, reuertantur ad Sacristiam ordine quo uenerunt, remanentibus ibidem aliquibus deuotis Fratribus, quos Prior assignauerit: qui assiduè pro infirmo Deum orent.

Quod si Prælatusmet fuerit inungendus, supradictus modus seruetur, hoc addito, quod post dictum: Confiteor Deo, & Misereatur, & Indulgentiā, &c. *Fratres eum similiter deprecentur, vt ipse etiam dimittat eis quidquid erga eum deliquerint. Quo remittente, petant ab eo absolutionem, dicentes:* Confiteor Deo, &c. *Et ille (si commodè loqui possit) subiungat:* Misereatur vestri, &c. & Indulgentiam, &c. *Et procedatur in officio, ut superius assignatum est.*

Si Sacerdos intellexerit mortem ęgroto iam imminere, ceteris omnibus prętermissis, absolutè incipiens ab illa oratione: In nomine Pa ✝ tris, &c. *vngat incunctanter ægrotum. Si verò infirmus adhuc vixerit, tunc cetera omnia quæ prætermissa sunt exequi debet.*

Si autem infirmum mori contigerit antequam terminetur officium Vnctionis, quamprimum hoc fuerit deprehensum, intermissis omnibus incipiatur commendatio animæ: Subuenite, &c. *vt infrà cap. 4. 5. assignatur.*

DE MODO IVVANDI morientes Fratres. Cap. IIII.

CVm tam sit arduum, tamq. difficile mortalis huius vitæ extremum iter, vt nullus omnino carnis imbecillitate circumseptus, tam inuicti animi inueniri possit, qui huiusmodi agonis cursum intrepida audacitate aggrediatur, & quem lethalis vltima colluctatio non deterreat, & Fratrum auxilio reddat indigentem: idcirco post collatum Extremæ Vnctionis Sacramentum (ægroti desperata salute) Superior, vel alius ex prudentioribus Fratribus, laqueos, quibus tunc temporis antiquus serpens fidelium animas diuersimodè irretire, ac in æternum dedecus deturbare conatur, solerti cura, studiosaq. solicitudine dissoluens,

uens, assistat ægrotanti. Cui in vltimo mortis articulo constituto tam ipse, quam ceteri omnes Fratres (forma in sequentibus paragraphis annotata) auxilium præstent.

Qualiter admonendus, & firmandus sit ægrotus contra inimici tela. §. 1.

PRimo assistens Frater hortetur ægrotum, quatenus immensas Deo gratias agat, qui eum ad tempus, statumque perduxit, in quo (vt Fidelis Christi miles) Sacramenta, quæ in animarum antidotum, in clypeum contra inimici tela, & in ipsius antiqui hostis opprobrium sempiternæ confusionis instituta sunt, deuote receperit.

Quia vero multos sæpe vana salutis spe a Dæmonibus deceptos fuisse, magistra rerum experientia demonstrat: ideo ante omnia Prælatus ægrotum (omnimodam recuperandæ salutis, mortisque euadendæ spem ab eo subtrahens) his, vel consimilibus verbis alloquatur.

Considera charissime Frater, omnibus, cuiuscumque conditionis, & status existant, semel mori constitutum esse, licet alij serius, alij vero citius huiusmodi mortis debitum exoluant, iuxta terminum vitæ sibi concessum a Deo, qui nobis in hoc mundo commorationis tantum diuersorium, non permanentem habitationis ciuitatem dedit, nolens nos tamdiu huius miserrimæ vitæ ærumnis premi: quæ quanto longior est, tanto miserior: in qua quanto plus viuitur, tanto plus peccatur. Itaque tibi potius gaudendum, quam mœrendum est, quod per huius mortis transitum ex temporali, & misera, ad æternam vitam, atque ex huius lacrymosæ vallis angustijs ad supernæ Hierusalem patriam licet commigrare.

Postquam his, vel similibus alijs verbis infirmum alloquutus fuerit, ostendat illi se iam in vltimo vitæ articulo constitutum esse, vt sic toto cordis affectu misericordissimi Dei clementiam imploret.

Deinde quærat ab eo blandis, lenibusque sermonibus, quænam sint iacula, quæ eidem a Dæmone inijciuntur, curetque diligenter secundum diuersarum tentationum species, diuersa medicamenta adhibere.

TENTATIONES.

SI ægrotus in fide quoquo modo vacillet, proponantur ei sanctorum Martyrum exempla, qui in testimonium huius orthodoxæ Religionis Christianæ, tot, & tanta miracula operati sunt, tamque innumera crudelissimorum tormentorum genera constantissime pertulerunt.

Deinde moneatur crebro huiusmodi verba ex toto cordis affectu proferre.

Indubitater, & firmissime credo, confiteorque ea omnia, quæ sancti Apostoli, Martyres, & Confessores confessi sunt, & crediderunt, quæque sacrosancta

sancta mater Ecclesia tenet, credit, & docet.

Si peccatorum veniam desperet, proponatur ei, quod etsi maxima est peccantis impietas, maior tamen est Dei miserantis pietas (excedit enim omnium criminum quantitatem, & numerositatem) quæ in communi posita offertur omnibus, a qua nemo expers sit, nisi qui eam renuit, infinitaque est: peccatorum vero etiam ab origine mundi commissorum finitus est numerus, quibus omnibus minima gutta pretiosissimi sanguinis Domini nostri Iesu Christi præponderat.

Deinde proponantur ei aliqui Sancti, qui Publicani, ac etiam persequutores Ecclesiæ fuerunt, velut Matthæus, & Paulus, aliique quamplurimi, & tamen Dei misericordia, non solum peccatorum remissionem, verum etiam sublimes in cælis gradus assequuti sunt.

Præterea, quod Iudam (qui sceleratissimus habetur) Dei nostri singularis clementia ad misericordiæ veniam parata erat suscipere, vocando eum amicum: tamen quia desperauit, damnatus est, plusque desperando peccauit, quam Iesum Christum prodendo.

Postremo proponatur ei, quod peccatorum remissio est articulus Fidei, quo significatur, quod quantumcumque, & quotiescumque homo peccauerit, tamen per veram pœnitentiam peccatorum remissionem consequetur: quod nisi crediderit, verus Christianus non erit.

Si videbitur nimium confidere in suis meritis, & anteactæ vitæ honestate, admoneatur, vt non valore meritorum suorum, sed potius virtute, & efficacia Passionis Iesu Christi, per quem mundus redemptus est, & Paradisi ianua (antea clausæ) peccatoribus apertæ sunt, confidat se æternam salutem consequuturum.

Præterea proponatur ei exemplum aliquorum, qui proprijs meritis, magis quam Christi sanguine nitentes, in sempiternæ confusionis chaos deturbati sunt: nullumque esse (cum, quis sit dignus amore, vel odio, penitus ab omnibus ignoretur) qui euenturæ sibi sorti merito timere non possit. Suadeaturque infirmus dicere.

Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.

Vltimo moneatur ægrotus, vt nulli (etsi Angeli, vel etiam Christi formam præseferat) vllo vmquam modo fidem præstet, dummodo contra fidem aliquid dicat, vel de propria virtute, & meritis ipsum hortetur spem habere.

Si vero impatientis animi furore stimulatur, reuocentur illi ad memoriam acerbissimæ passiones Iesu Christi: & quod Christus Filius Dei viui mortuus est in ligno; ipse vero in lecto: Christus non solum a Discipulis, & amicis, verum etiam a Patre derelictus; ipse vero Fratribus vndique circumseptus. Moneaturque Deum humiliter exorare, quatenus per præsentem dolorem peccatorum suorum veniam elargiri, & Purgatorij horribiles cruciatus in hanc temporalem afflictionem commutare dignetur: offeratque infirmus Deo dolores omnes, quos patitur, paratus tormenta omnia, quæ ab initio sæculi passa sunt, & vsque ad mundi finem patientur, pro munificentissimi Domini amore portare.

Hæc sunt retia, quibus antiquus serpens fidelium animas sæpius aucupari contendit: ideoque Sacerdos ægrotanti assistens, de huiusmodi laqueis illum cau-

cautum reddere debet, ne Dæmonis illusionibus deceptum infirmum, misere perire contingat.

Proponatur etiã ante oculos ægroti imago Crucifixi, aut B. Mariæ, vel Sancti, quem dum esset incolumis, peculiari obsequio, ac priuata veneratione colebat: & accensa candela detur ei ad manus, vel ad caput saltem lectuli collocetur: nec non & afferatur aqua benedicta, qua crebro cubiculum aspergendo, Dæmones abigantur.

SVpradicta poterunt etiam cum sæcularibus obseruari, sequentibus dumtaxat superadditis.

Primo, ne amici carnales, vt sunt coniux, liberi, &c. aut alia quæ infirmi animum quoquo modo diuagari, & a propriæ salutis cura discedere compellant (nisi spiritualis sanitas id exigat) in memoriam reducantur.

Secundo, si infirmus adhuc in testamento suæ conscientiæ dubia sufficienter non explanauerit, Sacerdos statim (si possibile sit) ea coram testibus explicari, ac declarari contendat.

Qualiter iuuandus sit infirmus iam in extremis vitæ constitutus. §. 2.

CVm infirmus Frater penitus morti appropinquare videbitur, percutiantur Tabulæ crebris ictibus in claustro, vel alibi: quibus auditis, statim Fratres omnes vndecumque fuerint accurrant ad morientem, dicentes alta voce. Credo in Deum, &c. *bis, vel ter ipsum repetendo (si oportuerit) donec ad infirmariam peruenerint.*

Si Fratres tunc temporis fuerint in principio, vel medio refectionis, statim, audito signo exeant aliqui, quos Superior assignauerit. Si vero circa finem sint, annuente Superiore dicatur: Tu autem, &c. *Et surgentibus omnibus, Hebdomadarius dicat Orationem,* Agimus tibi gratias, &c. *vel,* Benedictus Deus, &c. *Si autem ad Missam fuerint, vel ad Canonicas Horas, Superior, & aliqui, quibus ipse innuerit, egrediantur; ceteris in choro remanentibus, vsque ad incepti officij finem.*

Dum igitur Fratres vndique ad morientem accurrentes venerint, Superior, vel alius Frater, cui ipse iniunxerit, stola violacei coloris ad collum imposita (si adhuc infirmus superuixerit) ceteris omnibus genuflexis, de sequẽtibus (quod etiam cum infirmis sæcularibus obseruari poterit) ægrotum interroget.

INTERROGATIONES.

1 CRedis charissime Frater ea omnia, quæ ad fidem pertinent, prout sacrosancta Mater Ecclesia credit, tenet, & docet?

Deinde Fratres omnes vna cum infirmo respondeant. Credo.

2 Nonne vis viuere, & mori in eiusdem orthodoxæ Fidei confessione? ℞. Volo.

Doles

3 Doles ne te Deum offendisse? ℟. Doleo.

4 Velles ne intensius de peccatis dolere, non ex inferni timore, sed propter Deum summe dilectum? ℟. Vellem.

5 Nonne petis a Deo veniam peccatorum, quæ commisisti contra eius summam Maiestatem, & quod eum digne non honorasti? ℟. Peto.

6 Nonne speras Dei infinita clementia, & meritis passionis Iesu Christi, veniam te fore consequuturum. ℟. Spero.

7 Num tibi deliberatum est vitam in melius commutare, si tibi incolumi hoc morbo liberari detur? ℟. Deliberatum est.

8 Parcisne ex animo omnibus, qui tibi quoquo modo fuerunt molesti? ℟. Parco.

9 Nonne omnibus veteribus inimicitijs ex tuo expunctis animo cum inimicis paratus es in gratiam redire? ℟. Sum paratus.

10 Postulas ab ijs veniam, quos aliquando dictis, aut factis offendisti? ℟. Postulo.

11 Libens de peccatis oblitis confitereris, si in memoriam reuocarentur? ℟. Confiterer.

12 Num omnem quem pateris dolorem, propter Deum æquo animo toleras? ℟. Tolero.

13 Nonne a Deo supplici postulatione contendis, hanc tibi sua benignitate gratiam condonari, vt ab huiusmodi proposito non deflectas, sed cum commissorum criminum contritione in bonis semper operibus perseueres? ℟. Contendo.

Si vero ægrotans sæcularis fuerit, sequens interrogatio superaddi poterit.

Visne omnia per te ablata, vel quouis alio modo debita restitui? ℟. Volo.

Post hæc moneat infirmum, vt de peccatis commissis sæpius ex animo doleat, & dulcissimum Iesu nomen, Deiparæque Virginis Mariæ inuocet ore, vel saltem corde, Sanctorumque, quos (dum incolumis esset) priuata veneratione colebat, auxilium imploret.

Deinde deuotè legat ægroto sequentes iaculatorias orationes, ita vt infirmus (si commodè valeat) illas simul cum Sacerdote dicat. Interimq. adstantes Fratres easdem orationes secretò pronuncient.

Orationes Iaculatoriæ.

IN manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Iesu Christe misericordiarum Pater, misericordiam fac mihi pauperculæ creaturæ.

Adiuua me dulcissime Iesu, & propter gloriam nominis tui libera me, & propitius esto peccatis meis propter nomen sanctum tuum.

Adiuua me in hac extrema necessitate: succurre animæ egenti, & desolatæ, Domine Deus noster, vt non a canibus infernalibus deuoretur.

Domine Iesu Christe, Fili Dei viui, pone Passionem, Crucem, & mortem

tuam

tuam inter iudicium tuum, & animam meam.
Creator, & Redemptor meus Iesu Christe, totum me tibi dedo, non me renuas: ad te venio, non me repellas.
Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.
Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana animam meam, quia peccaui tibi.
Domine ne memineris iniquitatum mearum antiquarum: cito anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.
Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam. *cum aliquibus alijs versibus huius Psalmi, prout magis placuerit.*
Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.
Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me: intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.
In te Domine speraui, non confundar in æternum: sub vmbra alarum tuarum protege me.
Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.
Peccaui in cælum, & coram te: non sum dignus vocari filius tuus.
Iesu Christe Fili Dei viui, miserere mei.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei.
In manus tuas Domine, commendo spiritum meum: *Eadem verba sæpius repetendo.*

Orationem quoque Dominicalem, nempe. Pater noster, &c. *aliquoties dicat, & auxilium B. Mariæ imploret, dicens.*

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ: tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe.
Monstra te esse matrem, sumat per te preces: qui pro nobis natus tulit esse tuus.

His orationibus finitis, Sanctos, quos incolumis singulari obseruantia coluit, ad suum auxilium inuitet, dicens.

O Gloriosissime sancte N. *vel* sancta N. in te spem, & confidentiam mihi apud Deum patrocinandi dum viuerem, collocaui: nunc maxime (si vmquam alias) tuo est mihi opus auxilio: succurre igitur, & in adiutorium meum intende, in hoc extremæ necessitatis articulo.

Postremo ter, aut pluries orationem sequentem repetat, dicens.

Pax Domini nostri Iesu Christi, & virtus passionis eius, & benedictio omnium Sanctorum, & custodia Angelorum, nec non suffragia omnium electorum, sint inter me, & omnes inimicos meos, visibiles, & inuisibiles, in hac hora mortis. Amen.

De commendatione infirmi in vltimo iam agone decertantis. §. 3.

C*Vm iam sensus infirmo deficere videantur, incipiatur animæ commendatio prout sequitur.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Sancta Maria, &c. *vt supra in Litania cap. 3. de Extrema Vnctione fol. 106. posita continetur, in cuius fine post* Kyrie eleison, *sequentes dicantur Orationes.* Oremus.

PRoficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit. In nomine Iesu Christi Filij Dei viui, qui pro te passus est. In nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est. In nomine Angelorum, & Archangelorum. In nomine Thronorum, & Dominationũ. In nomine Principatuum, & Potestatum. In nomine Cherubim, & Seraphim. In nomine Patriarcharum, & Prophetarum. In nomine sanctorum Apostolorum, & Euangelistarum. In nomine sanctorum Martyrum, & Confessorum. In nomine sanctorum Monachorum, & Eremitarum. In nomine Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua sit in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟ Amen. Oremus.

DEus misericors, Deus clemens: Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis euacuas: respice propitius super hunc famulum tuum N. fratrem nostrum, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi. Renoua in eo, pijssime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, & vnitati corporis Ecclesiæ membrũ redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lacrymarũ eius: & non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

COmmendo te omnipotenti Deo (charissime Frater) & ei, cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitum (morte interueniente) persolueris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore, splendidus Angelorum cœtus occurrat. Iudex Apostolorum tibi senatus adueniat. Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet. Liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet. Iubilantium te Virginum Chorus excipiat, & beatæ quietis in sinum Patriarcharum te complexus astringat. Mitis, atque festiuus Christi Iesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis. In aduentu tuo, te comitantibus Angelis, contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Confundantur igitur, & erubescant omnes tartareæ legiones, & ministri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te à morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei viui intra Paradisi

disi

dis sui semper amœna virentia,& inter oues suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat, atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas,& pręsens semper assistens manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SVscipe Domine seruum tuum in locum sperandæ sibi saluationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Enoch, & Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Noe de diluuio. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Abraham de Vr Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Iob de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Isaac de hostia, & de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Moysem de manu Pharaonis Regis Aegyptiorum. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis,& de manu Regis iniqui. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Dauid de manu Regis Saul,& de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam serui tui: sicut liberasti Petrum, & Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam virginem,& martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti: sic liberare digneris animam serui tui Fratris nostri N. & tecum facias in bonis congaudere cælestibus. ℟. Amen.

Oremus.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui Fratris nostri N. precamurque te Domine Iesu Christe,Saluator mundi,vt propter quā ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à Dijs alienis creatam, sed a te solo Deo, viuo, & vero: : quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in con-

spectu tuo,& ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas suscitauit furor,siue feruor mali desiderij. Licet enim peccauerit,tamen Patrem,& Filium,& Spiritum sanctum non negauit,sed credidit,& zelum Dei in se habuit,& Deum,qui fecit omnia,adorauit. ℟. Amen.

Oremus.

DElicta iuuentutis, & ignorantias eius,quæsumus, ne memineris Domine, sed secundam magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine seruum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus Dei,qui militiæ cælestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant eum in ciuitatem cælestem Hierusalem. Suscipiat eũ beatus Petrus Apostolus, cui a Deo claues regni cælestis traditæ sunt. Adiuuet eũ sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Ioãnes electus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta cælestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi, atque soluendi. Intercedant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt,vt vinculis carnis exutus, peruenire mereatur ad gloriam regni cælestis,præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit,&c. ℟. Amen.

Postea dicatur Psal. 117. *videlicet* Confitemini Domino, quoniam bonus, &c. *Et totus Psal.* 118. Beati immaculati in via, &c. *vt est distributus per Horas in Breuiario. Deinde Symbolum,* Quicumque vult, *& (si necesse fuerit) septem Psalmi Pœnitentiales,vt supra cap. 3. fol. 102. legi poterunt.*

Quodsi amplius mortis aduentus differatur, legenda est coram ægro Dominicæ Passionis historia,vt in quatuor Euangelistis continetur.

*Si vero iam iam infirmus animam exhalare conspiciatur, ceteris omnibus omissis,dicatur a circumstantibus alta voce,*Credo in Deum, &c. *Sacerdos vero crebro ægrotum aspergens aqua benedicta, Versus, & Orationes sequentes leget.*

Vers. Erue a framea Deus animã eius. ℟. Et de manu canis libera eam.

Vers. De ore leonis libera eum Domine. ℟. Et de cornibus vnicornium humilitatem eius.

Vers. Intende animæ eius, & libera eam. ℟. Et propter inimicos nostros eripe eum.

Vers. Largire clarum vespere,quo vita numquam decidat. ℟. Sed præmium mortis sacræ,perennis instet gloria

Vers. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ. ℟. Eum ab hoste protege,& hora mortis suscipe. *Accipiensque Crucifixum Sacerdos dicat.*

Vers. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ. ℟. Vicit leo de tribu Iuda,radix Dauid. *Mox ipsum Crucifixum infirmo osculandum præbeat, dicens.*

Vers. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Vers.

Vers. In manus tua Domine, commendo spiritum meum. ℟. Redemisti nos Domine Deus veritatis.

Mox dicatur Credo in Deum, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. Oremus.

DOmine Iesu Christe, per agoniam, & orationem tuam sanctissimam, qua orasti pro nobis in monte Oliueti, quando factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram: obsecramus te, vt multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris tui angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum huius famuli tui Fratris nostri, & libera eum in hac hora mortis suæ ab omnibus angustijs, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum eodem Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce: obsecramus te, vt omnes amaritudines passionum, & pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in Cruce, & maxime in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de corpore tuo sanctissimo, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, pro anima huius famuli tui fratris nostri N. & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis, & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum eodem Patre, & Spiritu sancto viuis, &c. ℟. Amen. Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui per os Prophetæ tui dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui: obsecramus te, vt eandem charitatem tuam, quæ te de cælo ad terram, ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines traxit, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, pro anima huius famuli tui fratris nostri N. & libera eum ab omnibus passionibus, & pœnis, quas pro peccatis suis se timet meruisse: & salua animam eius in hac hora exitus sui in gloria æterna. Et tu pijssime Domine Iesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserere animæ huius famuli tui, & eum introducere digneris ad semper virentia, & amœna loca Paradisi, vt viuat tibi amore inuisibili, qui à te, & ab electis tuis separari numquam potest. Qui cum eodem Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in vnitate perfecta, per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus.

O Suauissime Domine Iesu Christe, per amorem, qui te dignissimum, innocentissimum, & delicatissimum Paternæ charitatis Filium, pro nobis factum hominem vulnerari, & mori pro salute hominum fecit: indulge famulo tuo Fratri nostro N. omne quod cogitatu verbo, & facto, affectionibus, & motibus, viribus, & sensibus animæ, & corporis deliquit, & in veram omnium peccatorum suorum remissionem, sacratissime Domine Iesu, illi lumen spirituale tuæ ardentissimæ charitatis, qua totius mundi culpas diluisti, ac in plenam suppletionem omnium negligentiarum, meritum tuæ sacratissimæ passionis adde, & insuper tribue illi fructum omnium

nium bonorum operum, per electos tuos factorum, qui tibi placuerunt. ℟. Amen. Oremus.

O Gloriosissime Domine Iesu, in vnione feruentissimi amoris, qui te coegit incarnari, & anxio spiritu in Cruce mori, ad medullam dulcissimi amoris tui pulsamus, vt famulo tuo Fratri nostro N. omnia peccata, quæ omnimode commisit, dimittas, & tuæ perdignissimo passionis merito omissa suppleas, faciasque illum experiri superabundantissimam multitudinem miserationum tuarum, disponasque eum placidissimo tibi modo, & sibi vtilissimo: suaui patientia, vera pœnitentia, plena remissione, recta fide, spe firma, ardenti charitate, & pio, ac sanctissimo statu: quatenus inter dulcissimum amplexum, & suauissimum osculum tuum, ò clementissime Domine Iesu, eius anima lætanter expiret, ad tuam æternam laudem, & gloriam laudandam, cognoscendam, & fruendam. ℟. Amen.

Oremus.

SAcratissime Domine Iesu Christe, in manus inextinguibilis misericordiæ tuæ commendamus spiritum huius famuli tui Fratris nostri N. secundum amoris magnitudinem, quo se anima tua sanctissima in Cruce glorioso Patri commendauit: suppliciter deprecantes, quatenus per illam ineffabilem charitatem, qua diuina Paternitas in se totam traxit illam sanctissimam animam tuam, vt in ista hora famuli tui, in eodem feruentissimo amore spiritum eius suscipias. Eia dulcissime Domine Iesu, animarum Redemptor, te deprecamur per illam lacrymabilem vocem, qua secundum humanitatem pro nobis moriturus, laboribus, & doloribus passionis adeo consumptus eras, vt te a Patre derelictum clamares: ne longe suauissime Iesu, facias a famulo tuo tuæ miserationis auxilium in hac hora afflictionis suæ, præ defectione, & consumptione spiritus te inuocare non valente: sed per triumphum sanctæ Crucis, & per mortem tuam salutiferam cogita cogitationes pacis, misericordiæ, & consolationis, & non afflictionis: & libera eum ab omnibus angustijs: & tua solita benignitate, bone Iesu, & dulcissime Pater, erue illum à tormentis sibi deputatis, & ad æternam requiem illum perducere digneris cum voce exultationis. ℟. Amen. Oremus.

O Intemerata, & in æternum benedicta Virgo Maria, totius angustiæ, & miseriæ adiutrix, famulo tuo Fratri nostro N. succurre dulciter, & omnes inimicos eius in virtute suauissimi Filij tui Dñi nostri Iesu Christi, & sanctæ Crucis disperde, & a potente Dracone infernali, & ab eius horribili visione, & ab omni fraude malorum spirituum defende illum, & ex omni angustia libera eum: quatenus tibi cum beatis spiritibus Domino Deo in cælorum beatissimo regno spirituales persoluat laudes. ℟. Amen.

Oremus.

SAncte Michael Archangele, succurre huic animæ apud Altissimum Iudicem. O inuictissime pugil, assiste huic famulo tuo in extremis laboranti, & eum potenter a Dracone infernali, ac visione, fraudeque malorum spirituum defende. Insuper exoramus te, vt in hac extrema hora vitæ ip-

tæ ipsius animam eius benigne suscipias, ac suauiter in sinum tuum recipias, illamque in locum refrigerij, lucis, & pacis perducas, cum Domino nostro Iesu Christo, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Si autem expletis his omnibus nondum obierit, discedant Fratres, relicta ibidem Cruce, & aqua benedicta, remanentibusque cum eo aliquibus, quos Superior designauerit: qui eadem, quæ supra dicta sunt, deuote repetant. Cumque certo signo viderint Fratrem in proximo fore moriturum, iterum percussis tabulis reliquos aduocent Fratres, qui vndecumque accurrant, dicentes alta voce, Credo in Deum, &c. *Et aliqua ex supraannotatis, quæ necessaria visa fuerint, vsque dum ægrotus spiritum Deo reddiderit, recitari poterunt.*

DE COMMENDATIONE ANIMAE. Caput V.

E*Gressa anima de corpore, Sacerdos imposita ad collum nigri coloris stola, incipit voce mediocri Responsorium,* Subuenite, &c. *quod ceteri omnes Fratres prosequuntur.*

Resp. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini * Suscipientes animam eius * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te * Suscipientes animam, &c. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. * Offerentes, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Requiem æternã dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine, commendamus animam famuli tui Fratris nostri N. vt defunctus sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Cantor incipit. Kyrie eleison, *& Conuentus prosequitur*, Christe eleison. Kyrie eleison. *Sacerdos.* Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. In memoria æterna erit iustus. ℟. Ab auditione mala non timebit. ℣. Ne tradas bestijs animam confitentem tibi. ℟. Et animam pauperis tui ne obliuiscaris in finem. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requiescat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

SVscipe Domine animam famuli tui Fratris nostri N. quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es, & libera eam de locis pœnarum: & quie-

& quietis, ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, vt inter sanctos, & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Expleta hac commendatione, corpus defuncti a lectulo amotum, ad partem ponatur, & (si opus fuerit) lauetur.

Postea indutũ superiori tunica grisei coloris, & Zona decenter aptatum, scapularique cum capucio, & cappa desuper amictum, nudis pedibus, manibusque (Cruce interposita) iunctis collocetur in feretro. Sacrista vero prouideat de thuribulo, & cereis: & Supprior deputet Fratres, qui Crucem, aquam benedictam, cereos, & thuribulum deferant.

Interim dum hæc aguntur, Fratres se iu cellas recipere poterunt; cumq. iam corpus præparatum fuerit, iterum Fratres conueniant, & hinc inde ad latera cadaueris ordinati consistant. Sacerdos vero voce mediocri Orationes subsequentes (Fratribus easdem submisse legentibus) dicat.

Oremus.

DEus pietatis, ac bonitatis inuictæ, & sempiternæ clementiæ, te suppliciter postulamus, vt animam famuli tui fratris nostri N. quam de huius sæculi ærumnosa peregrinatione præcepisti vocari, vniuersa delictorum remissione concessa, in sinu Abrahæ iubeas collocari. Obsecramus te ergo pijssime Pater, vt quem Vnigeniti tui cruor redemit effusus, non sinas vermibus perpetuis vorari: sed Angelici agminis deductione protectus, Paradisi tui potiatur suauitate securus, & inter victricium Martyrũ triumphales cateruas coronatus incedat, à dextris Filij tui retributionem recepturus assistat, & Sanctorum tuorum fælici consortio deputatus, regnum cæleste possideat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DIri vulneris nouitate percussi, & quodammodo cordibus sauciati, misericordiam tuam mundi Redemptor, flebilibus vocibus imploramus, vt animam famuli tui fratris nostri N. ad tuam clementiam (quæ fons est pietatis) reuertentem, blande, leniterque suscipias: & si quas ille ex carnali contagio contraxit maculas, tu Deus solita bonitate clementer deleas, pie indulgeas, obliuioni in perpetuum tradas, atque has laudes tibi cum ceteris reddituram, & ad corpus quandoque reuersuram, Sanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Oremus.

MIsericordiam tuam quæsumus Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro alijs cogimur, qui pro nostris supplicare peccatis nequaquam sufficimus. Tamen de tua confisi gratuita, & solita benignitate, clementiam tuam deposcimus, vt animam famuli tui Fratris nostri N. ad te reuertentem, cum pietate suscipias. Adsit ei Angelus testamenti tui Michael, & per manus sanctorum Angelorum tuorum inter electos tuos in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris: quatenus liberata de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, nullis iam primæuæ malignitatis, aut propriæ iniquitatis, seu fragilitatis confundatur erroribus: sed potius agno-

scatur

ſtatur a tuis,& ſancta beatitudinis requie perfruatur,atque cum magni Iudicij dies aduenerit,inter ſanctos,& electos tuos reſuſcitata,gloria manifeſtæ contemplationis tuæ perpetuo ſatietur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui humano corpori animam ad imaginem tuam inſpirare dignatus es: dum te iubente puluis in puluerē reuertitur, quæſumus, vt animam famuli tui fratris noſtri N.cum ſanctis, & electis tuis,æternis ſedibus iubeas ſociari, eamque ad te reuertentem ex Aegypti partibus, blande, leniterque ſuſcipias, & tuos ſanctos Angelos ei obuiam mittas, viamque illi iuſtitiæ demonſtra. Repelle quæſumus Domine, ab ea omnes Principes tenebrarum, & agnoſce depoſitum, quod tuum eſt. Suſcipe Domine creaturam tuam, non ex Dijs alienis creatam, ſed à te ſolo Deo, viuo, & vero: quia non eſt alius Deus præter te Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica clementiſſime Deus, animam famuli tui, & clarifica eam multitudine miſericordiæ tuæ. Ne memineris iniquitatum,& ebrietatum antiquarum illius, quas ſuſcitauit furor mali deſiderij: licet enim peccauerit, te tamen non negauit: ſed ſigno fidei inſignita, te, qui omnia, & eam inter omnia feciſti, fideliter adorauit. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Oremus.

SVſcipe Domine animam famuli tui Fratris noſtri N. defuncti, quam de ergaſtulo huius ſæculi vocare dignatus es, & libera eam de Principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, vt abſoluta ab omni vinculo peccatorum, quietis, ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter ſanctos, & electos tuos in reſurrectionis gloria reſuſcitari mereatur. Per Chriſtum Dominum, &c. ℟. Amen. Oremus.

PArtem beatæ reſurrectionis obtineat, vitamque æternam habere mereatur in cælis, per te Ieſu Chriſte, Saluator mundi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*Deinde Sacerdos incipiat Antiphonam,*Suſcipiat,&c. *quam Conuentus proſequatur, eaque finita Pſalmus*, In exitu Iſrael, &c. *alternatim per Choros recitetur, poſt quem dictum, prædicta Antiphona repetatur. Antiphona.* Suſcipiat te Chriſtus, qui vocauit te,& in ſinū Abrahæ, Angeli deducant te.

Pſalmus 113.

IN exitu Iſrael de Aegypto: domus Iacob de populo barbaro.
Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: Iſrael poteſtas eius.
Mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum.
Montes exultauerunt vt arietes: & colles ſicut agni ouium.
Quid eſt tibi mare quod fugiſti: & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?
Mōtes exultaſtis ſicut arietes,& colles ſicut agni ouium.
A facie Domini mota eſt terra: à facie Dei Iacob.
Qui conuertit petrā in ſtagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.
Non nobis Domine, non nobis: ſed

nomini tuo da gloriam.
Super misericordia tua, & veritate tua: nequando dicant Gentes, Vbi est Deus eorum?
Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit fecit.
Simulachra gentium argẽtum, & aurum: opera manuum hominum.
Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.
Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorũ est.
Domus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorũ, & protector eorum est.
Qui timent Dñm, sperauerũt in Dño: adiutor eorum, & protector eorũ est.
Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.
Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.
Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum maioribus.
Adijciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.
Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum, & terram.
Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum.
Non mortui laudabũt te Dñe: neque omnes, qui descendunt in infernũ.
Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei.

Antiphona. Suscipiat te Christus, qui vocauit te; & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

Mox à Sacerdote incboatur Antiphona, Chorus Angelorum, *quam Conuentus prosequitur, & post ipsam dicitur alternatim Psalmus*, Dilexi, &c. *Et repetitur prædicta Antiphona.*

Antiphona. Chorus Angelorum te suscipiat, & in sinu Abrahæ te collocet: vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Psalmus 114.

Dilexi quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.
Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.
Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.
Tribulationem, & dolorem inueni: & nomen Domini inuocabo.
O Domine libera animam meam, misericors Dominus, & iustus: & Deus noster miseretur.
Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberauit me.
Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.
Quia eripuit animam meã de morte: oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.
Placebo Domino: in regione viuorum.
Requiem æternam dona ei Domine: & lux, &c.

Antiphona. Chorus Angelorum te suscipiat, & in sinu Abrahæ te collocet, vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cum

Cum iam hæc omnia dicta fuerint, corpus Sacerdos aspergat, & thurificet, dicatque.

Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, cui soli competit medelam præstare post mortem: præsta quæsumus, vt anima famuli tui Fratris nostri N. terrenis exuta contagijs, in tuæ redemptionis partem numeretur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE FORMA DEFERENDI CORPVS defuncti Fratris ad Ecclesiam. Cap. VI.

DVm prædicta commendatio animæ fit, Sacrista præparet in capella maiori, vel extra, arbitrio Superioris, lectum ex tabulis palmorum quatuor, aut quinque, longitudinis octo, latitudinis quatuor paulo plus minus ue, quod cooperietur panno aliquo laneo grisei coloris, vel si haberi nequierit, nigri, ad caputque lecti ponatur puluinar eiusdem panni, aut alterius, secundum tamen paupertatem nostram; collocenturque quatuor candelabra alta cum quatuor intorticijs ardentibus ad quatuor lecti angulos.

FInitaque commendatione, incipientibus Cantoribus, & Conuentu prosequente Responsorium, Libera me Domine, &c. *deferatur corpus ad Ecclesiam in hac forma.*

Præcedunt duo Fratres, quorum alter aquam benedictam, alter vero thuribulum deferet. Insequitur Cruciferarius inter Acolythos: deinde Conuentus bini, & bini, iunioribus præcedentibus. Postea defunctus, qui a quatuor Fratribus (quibus Supprior innuerit) in feretro defertur, vltimo Sacerdos cum stola nigra: interimque campanæ funebrè pulsentur.

Resp. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda. *Quando cæli mouendi sunt, & terra.* Dum veneris iudicare sæculum per ignẽ. ℣. Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. * Quando cæli, &c. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miseriæ, dies magna, & amara valde. * Dum veneris, &c. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. ℟. Libera me Domine, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Venientes autem in Ecclesiam deponant corpus in præparato lecto, ita vt defuncti facies respiciat ad Altare. Deinde qui portant aquam benedictam, & thuribulum, ordinent se ad caput defuncti, vnus hinc, & alius inde, versis ad se mutuo vultibus: Ceroferarij vero stent ad pedes defuncti versa ad Altare facie, & Cruciferarius collocet se medium inter vtrumque Acolythum, imagine Crucifixi ad corpus defuncti conuersa. Fratres vero per Choros diuisi, ad latera

tera feretri consistant, ita vt sese inuicem possint respicere.

Denique Sacerdos stans retro feretrum ad caput defuncti, ministrante Thuriferario thuribulum imponit in eo absque benedictione incensum, acceptoque ab altero Fratre deferente vas aquæ benedictæ aspersorio, facta Altari reuerentia comitante ministro a dextris, & fimbriam anteriorem Pluuialis tenente, circuiens aspergit cadauer: cum transit ante Crucem profunde inclinat, minister vero genuflectit: rediensque ad pristinum locum accipit thuribulum, & eodem modo quo asperserat thurificat, & prosequitur: post Kyrie eleison, *dicit* Pater noster. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℟. Sed libera nos, &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Domine exaudi, &c. ℟. Et clamor meus, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui Fratris nostri N. vt defunctus sæculo, tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c. ℟. Amen. *Cantores.* Requiescat in pace. ℟. Amen. *Et sub silentio dicitur.* Pater noster, &c.

Post hæc, relicto in Ecclesia *corpore, discedant Fratres, reposita Cruce ad pedes defuncti, versa imagine Crucifixi ad corpus, cum aliquibus cereis accensis, & vrceo aquæ benedictæ.*

Prouideat autem Superior, *ne corpus solum remaneat, sed aliqui Fratres ibi sint, qui Psalterium spatiose, & deuote, vnumquemque Psalmum cum* Requiem æternam *terminantes, legant.*

Si Frater tali hora obierit, vt pro eo Missa celebrari possit, eodem die sepeliatur: sin autem, in crastinum reseruetur, nisi aliud forte temporibus, & locis calidis, vel ob alias causas fieri oporteat.

Sciendum tamen est, quod priusquam Frater sepeliatur, vel quam citius fieri poterit, in Conuentu, vbi mori contigerit (siue sit conuentualis, siue non) debet pro eo Missa solemniter celebrari, & officium nouem lectionum in Choro *cum solemnitate Duplicis, communiter cantari.*

Sed cum alicuius Fratris nostri mors in alio Conuentu scietur, similiter ac pro præsente defuncto lectus præparabitur, sed loco cadaueris ponetur habitus, cum scapulari, & cappa, craneoque humano intra capucium, cruxque ad pedes lecti collocabitur, caneturq; pro eo Missa solemnis, quæ erit sicut & aliæ priuatæ, vt in die obitus (ita vt si fuerit Sacerdos, dicatur oratio propria pro Sacerdotibus) finitaque Missa cantabitur Responsorium, Libera me Domine. *vt supra: officium vero integrum Defunctorum recitabitur cum solemnitate Duplicis.*

DE SEPVLTVRA FRATRVM. Caput VII.

CVm defunctus sepeliendus fuerit, pulsato cymbalo, Fratres in Sacristia conueniant, & Sacrista distribuat eis libellos Processionarios, siue Funerales, accensasque candelas: Sacerdotibus vero stolas nigri coloris. Deinde ingrediantur Ecclesiam processionaliter, atque in ea hoc modo ordinentur.

Subdiaconus deferens Crucem medius inter Acolythos cereos accensos deferẽtes, ad pedes defuncti contra Altare collocetur, qui vero portant aquam benedictã, & thuribulum, ad caput defuncti, verso ad inuicem vultu consistant, & Fratres per Choros diuisi ad latera feretri hinc, & inde, versis mutuo vultibus ordinẽtur. Sacerdos vero nigro Pluuiali indutus, cum Diacono a sinistris dalmatica eiusdẽ coloris ornatos, post feretrum retro defuncti caput stans incipit absolute.

Oratio.

NOn intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio Fidei Christianæ commendat: sed gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Qui viuis, & regnas, &c.

Deinde cantatur Responsorium sequens.

Resp. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini. * Suscipientes animam eius. * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. *Suscipientes, &c. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. * Offerentes, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Dum cantatur Responsorium, Sacerdos imponit incensum, & dicto, Kyrie eleison, *dicat alta voce,* Pater noster, *Chorusque secreto prosequitur*, qui es in cælis, &c.

Interim Sacerdos accipiens aspersorium de manu ministri, & facta Altari reuerentia, comitante Diacono a dextris, & fimbriam anteriorem Pluuialis tenente, circuiens aspergit defunctum corpus. Cum transit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit, & rediens ad pristinum locum accipit thuribulum de manu eiusdem Diaconi, & eodem modo, quo asperserat, incensat. Quod etiam in vnoquoque ex dicendis Responsoriys fieri debet.

Postea dicit. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Credo videre bona Domini. ℟. In terra viuentium. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, vt suscipi iubeas animam

animam famuli tui Fratris nostri N. per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinũ amici tui Abrahæ, resuscitandamq. in nouissimo Iudicij magno die, & quidquid vitiorum (Diabolo fallente) contraxit, tu pius, & misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum N. ℟. Amen.

Resp Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. * Neque aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. * Neque aspiciat, &c. ℣. Requiem æternam, &c. *Neque, &c. Kyrie eleison, &c. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℣. A porta, &c. ℣. Credo videre, &c. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

FAc quæsumus Domine, hanc cum famulo tuo Fratre nostro N. defuncto misericordiam, vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: vt sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio associet Angelicis choris. Per Christum, &c. ℟. Amen.

Resp. Libera me Domine de vijs inferni, qui portas æreas confregisti, & visitasti infernum, & dedisti eis lumen. * Vt viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Clamantes, & dicentes: aduenisti Redemptor noster. Vt viderent te, &c. ℣. Requiem æternam, &c. * Vt viderent te. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos, &c. *cum reliquis Versibus, vt supra.* Oremus.

ANnue nobis Domine, vt anima famuli tui Fratris nostri N. remissionem, quam semper optauit, mereatur percipere delictorum. Per Christum Dominum nostrum, &c. ℟. Amen.

Dum hæc vltima Oratio dicitur a Sacerdote, quatuor Fratres, qui delaturi sunt corpus, ordinent se iuxta feretrum hinc, & inde, & Oratione finita, Cantore incipiente alta voce Antiphonam, Chorus Angelorum, *Conuentus eandem cum Psalmis infrapositis prosequatur, cum terminatione*, Requiem æternam.

Interim Fratres ordine, quo defunctum ad Ecclesiam detulerunt, procedant ad locum, vbi defuncti corpus terræ mandandum est. Campanæ vero ad finem vsque officij funebrè pulsentur.

Antiph. Chorus Angelorum te suscipiat, & in sinu Abrahæ te collocet, vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem. *Psal.* In exitu Israel. &c. *vt supra cap. 5. fol. 121. Deinde.*

Psalmus. 117.

COnfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia eius.
Dicant nunc, qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.
De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dñs.
Dominus mihi adiutor: non timebo quid

quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.
Bonum est confidere in Domino: quã confidere in homine.
Bonum est sperare in Domino: quam sperare in principibus.
Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.
Impulsus, euersus sum, vt caderem: & Dominus suscepit me.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.
Vox exultationis, & salutis: in tabernaculis iustorum.
Dextra Domini fecit virtutem, dextra Domini exaltauit me: dextra Domini fecit virtutem.
Non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini.
Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.
A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.
Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.
O Domine saluum me fac, o Domine bene prosperare: benedictus, qui venit in nomine Domini.
Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
Constituite diem solemnem in condensis: vsque ad cornu Altaris.
Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.
Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.
Requiem æternam, &c.

Psalmus. 41.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.
Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Vbi est Deus tuus?
Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.
In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.
Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.
Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm a mont modico.

Abyssus

Abyſſus abyſſum inuocat:in voce cataractarum tuarum.
Omnia excelſa tua, & fluctus tui:ſuper me tranſierunt.
In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticũ eius.
Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Suſceptor meus es.
Quare oblitus es mei: & quare contriſtatus incedo,dum affligit me inimicus.
Dum confringuntur oſſa mea:exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.
Dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Pſalmus 131.

MEmento Domine, Dauid: & omnis manſuetudinis eius.
Sicut iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.
Si dedero ſomnũ oculis meis: & palpebris meis dormitationem.
Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.
Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis ſiluæ.
Introiuimus in tabernaculum eius: adorauimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.
Surge Domine in requiem tuam: tu & arca ſanctificationis tuæ.
Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent.
Propter Dauid ſeruum tuum: non auertas faciem Chriſti tui.
Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum:de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.
Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum: & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.
Et filij eorum vſque in ſæculum: ſedebunt ſuper ſedem tuam.
Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.
Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo,quoniam elegi eam.
Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.
Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt.
Illuc producam cornu Dauid:paraui lucernam Chriſto meo.
Inimicos eius induam confuſione:ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.
Requiem æternam dona ei Domine, &c.

Pſalmus 138.

DOmine, probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionẽ meam, & reſurrectionem meam.
Intellexiſti cogitationes meas de lõge: ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti.
Et omnes vias meas præuidiſti:quia non eſt ſermo in lingua mea.
Ecce Domine, tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua: tu formaſti

me,

me, & posuisti super me manum tuam.
Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.
Quo ibo a spiritu tuo: & quo a facie tua fugiam?
Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades.
Si sumpsero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.
Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.
Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis.
Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.
Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ.
Cõfitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.
Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.
Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.
Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.
Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.
Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate a me.
Quia dicitis in cogitatione: accipiẽt in vanitate ciuitates suas.
Nonne qui oderunt te Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam?
Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.
Proba me Deus, & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.
Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.
Requiem æternam dona ei Domine, &c.

Psalmus 140.

DOmine clamaui ad te, exaudi me: intendi voci meæ, cum clamauero ad te.
Dirigatur oratio mea sicut incẽsum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.
Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis.
Non declines cor meũ in verba malitiæ: ad excusandas excusationes in peccatis.
Cum hominibus operãtibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.
Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.
Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.
Audient verba mea, quoniam potuerunt: sicut crassitudo terræ erupta est super terram.
Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te speraui, non auferas animam meam.
Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: & a scandalis operantium

tium iniquitatem.
Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego, donec transeā.
Requiem æternam, &c.

Psalmus. 141.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum.
Effundo in conspectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.
In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognouisti semitas meas.
In via hac, qua ambulabam: absconderunt laqueum mihi.
Considerabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.
Perijt fuga a me: & non est qui requirat animam meam.
Clamaui ad te Domine: dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.
Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.
Libera me a persequētibus me: quia confortati sunt super me.
Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.
Requiem æternam, &c.

Deinde repetitur Antiph. Chorus Angelorum te suscipiat, & in sinu Abrahæ te collocet, vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Cum ad tumulum peruenerint, Sacerdos, & ministri ordinent se ad fossam modo, quo in Ecclesia dispositi fuerunt, vel aliter secundum aptitudinem loci, prout commode poterunt. Conuentus vero ordinet se, sicut loci opportunitas permiserit, defuncti corpore iuxta tumulum versa ad altare facie collocato. Deinde Sacerdos (Conuentu interim Psalmodiam prosequente) stans prope feretrum, legat sequentes Orationes. *Oratio.*

PIæ recordationis affectu (Fratres charissimi) commemorationem facimus chari nostri Fratris N. quem Dominus de tentationibus huius sæculi assumpsit, obsecrantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi, vt ipse ei retribuere dignetur placidam, & quietam mansionem, & remittat omnes lubricæ temeritatis offensas: vt concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc sæculo proprio, vel alieno reatu deliquit, totum ineffabili pietate, ac benignitate sua deleat, & abstergat. Quod ipse præstare dignetur, qui viuit, & regnat per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

OBsecramus misericordiam tuam omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, vt animam famuli tui Fratris nostri N. quam hodierna die rebus humanis eximi, & ad te accersiri voluisti, blande, & misericorditer suscipias. Non ei dominentur vmbræ mortis: nec contegat eum chaos, & caligo tenebrarum: sed exutus omnium criminum labe, in sinu Abrahæ Patriarchæ collocatus, locum lucis, & refrigerij se adeptum gaudeat, & cum dies Iudicij aduenerit, cum sanctis, & electis tuis eum resuscitari iubeas. Per Christum Dominum nostrum, &c.
℟. Amen.

Ore-

Oremus.

DEus, apud quem mortuorum ſpiritus viuunt, & in quo electorum animæ, depoſito carnis onere, plena fælicitate lætantur: præſta ſupplicãtibus nobis, vt anima famuli tui Fratris noſtri N. qui temporali per corpus huius luminis caruit viſu, æternæ illius lucis ſolatio potiatur. Non eam tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ viſionis officiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima caterua cõſtringat, ſed conceſſa ſibi venia delictorum omnium, optatæ quietis conſequatur gaudia repromiſſa. Per Chriſtum, &c. ℞. Amen. *Poſtea benedicit tumulum in hac forma.*

Benedictio tumuli, ſeu foſſæ.

DEus, qui fundaſti terram, & creaſti cælos, qui omnibus nomina ſideribus indidiſti; qui captum laqueo mortis hominem lauacri ablutione reparaſti; qui ſepultum Abraham, Iſaac, & Iacob in ſpelunca duplici, in libro vitæ, atque gloriæ annotaſti benedicendos: bene † dicere digneris hunc tumulum Fratris noſtri N. vt eum requieſcere facias, & in ſinu Abrahæ collocare digneris. Per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum Filium tuum, quem victis laqueis inferorum reſurgere feciſti, & ſuorum in ſe credentium membra iuſſiſti reſuſcitari. Reſpice quæſumus Domine, ſuper hanc fabricam ſepulturæ: deſcendat ad eam Spiritus tuus ſanctus, vt te iubente, ſit ei in hoc loco quieta dormitio, & in tempore Iudicij, cum Sanctis tuis omnibus vera reſurrectio, præſtante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui tecum viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Finitis prædictis orationibus, Sacerdos aſpergat corpus aqua benedicta, poſtea foſſam, deinde thurificet vtrumque. Duo autem ex ijs, qui corpus portauerunt, vel alij ad hoc aſſignati, deſcendant in foſſam ad ſuſcipiendum defuncti corpus, & duo alij ipſum deponant, & vna cum illis, vt decentius poterunt (faciem eiuſdem capucio velantes) in tumulo collocent. Quo facto iterum aſpergatur a Sacerdote, & thurificetur.

Deinde Sacerdos proijciat ſuper illud pugillum terræ, & Fratres ad hoc conſtituti ipſum humo cooperiant: Si vero in tumba ſepeliatur, os tumbæ tegatur; quod dum ſit, Pſalmos prædictos Fratres proſequantur. Cumque iam defuncti corpus penitus humatum fuerit, terminato Pſalmo, qui tunc temporis decantabitur cum Requiem æternam, *& repetita Antiph.* Chorus Angelorum te ſuſcipiat, *Sacerdos paululum elongatus a foſſa cum Diacono à ſiniſtris verſa ad tumulum facie, cantat Orationes ſubſequentes.*

Oratio.

TEmeritatis quidem eſt Domine, vt homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem, tibi Domino Deo noſtro audeat commendare. Sed quia terra ſuſcipit terram, & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in ſuam redigatur origném: inde tuam pijſſime Pater, lacrymabiliter quæſumus pietatem, vt huius famuli tui Fratris noſtri N. tu animam,

quam de huius mundi voragine cænulenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui ſinu recipias, & refrigerij rore perfundas. Sit ab æſtuantis gehennæ truci incendio ſegregata, & beatæ requiei, te donante, coniuncta: & ſi quæ illi ſunt Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu ei gratia mitiſſimæ lenitatis indulge: neque peccati recipiat vicem, ſed indulgentiæ tuæ piam ſentiat bonitatem: cumque finito mundi termino, ſupernum cunctis illuxerit regnum, nouus homo Sanctorum omnium cœtibus aggregatus, cum electis tuis reſurgat, in parte dextra collocandus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

ORemus Fratres chariſſimi, pro ſpiritu chari noſtri N. quem Dominus de laqueo huius ſæculi liberare dignatus eſt, cuius corpuſculum hodie ſepulturæ traditur: vt eum pietas Dñi in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob collocare dignetur; vt cum dies Iudicij aduenerit, inter ſanctos, & electos ſuos eũ reſurgere faciat, in parte dextra collocandum. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Oremus.

DEus, qui humanarum animarum æternus amator es: animam famuli tui Fratris noſtri N. quam vera, dum in corpore manſit, tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem: vt ſegregata ab infernalibus clauſtris, Sanctorum mereatur omnium adiuuari conſortio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Oremus.

DEbitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia viuunt, fideliter deprecemur, vt hoc corpus chari noſtri N. a nobis infirmitate ſepultum, in ordine Sanctorum ſuorum reſuſcitet, & eius ſpiritum ſanctis, ac fidelibus ſuis aggregari iubeat, cum quibus inenarrabili gloria, & perenni fælicitate perfrui mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Oremus.

SVſcipe Domine animam famuli tui Fratris noſtri N. reuertentem ad te: veſte cæleſti indue eam, & laua eam ſancto fonte vitæ æternæ; vt inter gaudentes gaudeat, & inter ſapientes ſapiat, & inter Martyres coronata conſedeat, & inter Patriarchas, & Prophetas proficiat, & inter Apoſtolos Chriſtum ſequi ſtudeat, & inter Angelos, & Archangelos claritatem Dei ſemper videat, & inter Paradiſi rutilos lapides gaudium poſſideat, & notitiam myſteriorum Dei agnoſcat, & inter Cherubim, & Seraphim charitatem Dei inueniat, & inter viginti quatuor ſeniores cantica canticorum audiat, & inter lauantes ſtolas ſuas in fonte fluminis, veſtem lauet, & inter pulſantes portas cæleſtis Hieruſalem apertas inueniat, & inter videntes Deum facie ad faciem videat, & inter canentes canticum nouum ante ſedem Dei, & Agni cantet, & inter audientes auditũ cæleſtis ſoni audiat, & viuat cum Chriſto in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Oremus.

SVſcipe Domine ſeruum tuum in bonum habitaculum tuum æternum, & da ei requiem, & regnum ſempiternum in Hieruſalem cæleſti, & in ſinibus Patriarcharum Abraham, Iſaac, & Iacob eum collocare digneris, vt partem habeat in prima reſurrectione, & inter reſurgentes reſurgat, & inter

ter suscipientes corpora sua in die resurrectionis, corpus ad gloriam suscipiat, & cum benedictis ad dextram Dei Patris venientibus veniat, & inter possidentes vitam æternam possideat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

TE Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur pro spiritu famuli tui Fratris nostri N. quem de voraginibus huius sæculi ad te accersiri præcepisti, vt digneris dare ei locum refrigerij, & quietis. Liceat ei transire locum inferorum, & pœnas tenebrarum, maneatque in mansionibus Sanctorum, & in luce sancta, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. Nullam læsionem sentiat spiritus eius, sed cum magnus dies ille resurrectionis, atque remunerationis aduenerit, resuscitare eum digneris Domine, vna cum sanctis, & electis tuis. Deleas delicta atque peccata vsque ad nouissimum quadrantem, vt tecum immortalitatis vitam, & regnum consequatur æternum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Cantores incipiant alta voce Antiphonam, Clementissime Domine, *& Conuentus ipsam communiter prosequatur. In fine vero Antiphonæ cum inchoabitur*, Domine miserere (*quod deuote, ac spaciosè dicendum est*) *omnes flectant genua, vsque dum dicatur a Sacerdote*, Et ne nos inducas, &c. *Antiph.* Clementissime Domine, qui pro nostra miseria ab impiorum manibus mortis supplicium pertulisti libera animam eius de inferni voragine, & de ministris tartareis miserator absolue, & cuncta eius peccata obliuione perpetua dele, eamque ad lucem tuam Angeli tradant, Paradisique ianuam introducant, vt dum corpusculum pulueri traditur, ad æternitatem perducant. Domine, miserere super isto peccatore.

Sacerdos genuflexus dicit alta voce. Pater noster, *& Conuentus similiter genuflexus, secreto prosequitur*, qui es in cælis, &c.

Deinde Sacerdos cum ceteris surgens, alte dicit. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. ℟. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SAtisfaciat tibi quæsumus Domine Deus noster pro anima famuli tui Fratris nostri Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ humilis, & deuota supplicatio, vt peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, neque eum patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem Filij tui Domini nostri Iesu Christi pretioso sanguine redemisti.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus hic, & vbique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, vt a cunctis reatibus absoluti tecum sine fine lætentur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c. ℟. Amen.

Fini-

Finitis prædictis orationibus extinguuntur candelæ, & Subdiaconus, deposita Cruce, Vadit ad Sacerdotem: Cantoreque incipiente, & prosequente Conuentu tono mediocri Psalmum Miserere mei, *cui (si opus fuerit) Psalmus* De profundis *addatur, terminantes illos cum* Requiem æternam, *ad maiorem Capellam reuertantur: ad quam cum peruentum fuerit, Fratres per Choros diuidantur. Sacerdos vero medius inter ministros, (Acolythis post ipsos ordinate stantibus) ante gradus maioris Altaris collocetur.*

Finito Psalmo Miserere, *vel* De profundis *(si vtrumque dici oporteat) dictoque a Sacerdote,* Pater noster, *Conuentus supra pauimentum, Sacerdos vero cum ministris supra gradus Altaris se prosternant, ac sub silentio prosequantur,* qui es in cælis, &c. *quo finito Sacerdos solus erectus, alta voce dicat.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. In memoria æterna erunt iusti. ℟. Ab auditione mala non timebunt. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum, &c. Oremus.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui Fratris nostri N. & animas famulorum, famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter sanctos, & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum, &c. ℟. Amen. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos prosternat se, vt prius, & omnes sub silentio prostrati dicant, Pater noster, &c. *Quo finito, facto per præsidentem signo, surgant omnes, & Ecclesia (Psalmum,* De profundis *dicentes) egrediantur.*

DE OFFICIO SEPVLTVRAE sæcularium. Caput VIII.

Et primo de receptione eorundem ad sepulturam. §. 1.

QVando aliquis sæcularis apud nos sepeliendus fuerit, si solemniter recipi debet, pulsato signo, Fratres ad Sacristiam in cappis conueniant. Appropinquante igitur funere, exeant Fratres processionaliter per Ecclesiam obuiam defuncto, vsque ad portam exteriorem, vel vsque ad locum, qui Superiori videbitur expedire, præcedentibus duobus Fratribus, aquam benedictam, & thuribulum deferentibus, deinde Cruciferario inter Acolythos accensos cereos portantes. Postea sacerdos Pluuiali indutus, assistente sibi (si Missa celebranda fuerit) a sinistris Diacono, subdiaconoque deferente Crucem procedet. Vltimo Conuentus præcedentibus senioribus. Et sic Sacerdote cum ministris ad locum destinatum sistente, Fratres reliqui post ipsum ordinate subsistant: procedenteque funere per medium Fratrum, cum corpus defuncti ad Sacerdotem peruenerit, aspergatur, & thurificetur ab ipso.

Deinde incipientibus Cantoribus, & prosequente Conuentu Responsorium, Libera me Domine, &c. *reuertatur Processio cum funere in Ecclesiam, Cruciferario, & Acolythis præcedentibus: interimque campanæ pulsentur.*

Quod si aliorum Ordinum Religiosi corpus defuncti comitantes aderint,

Fra-

Fratres eiſdem cedant, ac digniori loco collocari permittant.

Reſp. Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda. * Quando cæli mouendi ſunt,& terra. * Dum veneris iudicare ſæculum per ignem. ℣. Tremens factus ſum ego, & timeo,dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. * Quando, &c. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ,dies magna,& amara valde. * Quando,&c. ℣. Requiem æternam,&c. * Dum veneris,&c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Igitur cum peruentum fuerit ad Eccleſiam, deponatur defunctus verſa ad Altare facie, in loco præparato ad medium Eccleſiæ,& Fratres ordinentur hinc, & inde ad latera eiuſdem feretri, Cruciferario, & Acolythis ad pedes defuncti ſtantibus: Sacerdos vero ad caput defuncti exiſtens, finito Reſponſorio, poſt Kyrie eleiſon, *dicat alta voce,* Pater noſter. ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed libera, &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiſcum,&c.

Oremus.

INclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, vt animam famuli tui, quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti,in pacis,ac lucis regione cõſtituas,& Sanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem.

Oremus.

ABſolue quæſumus Domine animam famuli tui N. & animas famulorum, famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum, &c. ℟. Amen. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Si fuerit Pontifex, aut Sacerdos defunctus, dicatur oratio ſequens.

DEus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum pontificali, *ſeu* ſacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Abſolue,&c. *vt ſupra.*

Pro femina Oratio.

QVæſumus Domine pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ, & a contagijs mortalitatis exutam, in æternæ ſaluationis partem reſtitue. Abſolue,&c. *vt ſupra.*

Finita oratione relicta Cruce ad pedes defuncti cum accenſis cereis, Fratres in Chorum reuertantur, ibique Officium, vel Miſſa Defunctorum ſecundum temporis, ac Superioris diſpoſitionem dicatur.

De ſepultura adultorum. §. 2.

FInitio Officio Defunctorum, vel Miſſa (ſi dicenda fuerit) Fratres Eccleſiam ordinate ingrediantur, & iuxta feretrum, forma in cap. 7. fol. 125. annotata ordinentur. Sacerdos vero ſtans ad defuncti caput incipiat abſolute orationem.

NOn intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia nullus apud te iuſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio. Non ergo eum quæſumus, tua iudicialis ſententia premat, quem tibi

tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Finita hac oratione, cantatur Responsorium, Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini. * Suscipientes animam eius. * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. * Suscipientes, &c. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. * Offerentes, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Dum cantatur Resp. Sacerdos, ministrante Diacono (si post Missam sit) alioquin Acolytho nauiculâ, imponit incensũ in thuribulo, & post Kyrie eleison, &c. *dicat alta voce*, Pater noster, *Conuentusq. prosequitur*, qui es in cælis, &c. *Interim Sacerdos accipit aspersorium de manu ministri, & aspergit corpus in modũ crucis, deinde accepto thuribulo thurificat. Postea dicit alta voce*, Et ne nos, &c. ℟. Sed libera nos, &c. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. Requiescat in pace. Amen. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus, cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutãtur in melius: te supplices deprecamur, vt suscipi iubeas animam famuli tui per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinum amici tui Abrahæ, resuscitandamque in nouissimo Iudicij magno die, & quidquid vitiorum (Diabolo fallente) contraxit, tu pius, & misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita poterit cani Responsorium, Libera me Domine de vijs inferni, qui portas æreas confregisti, & visitasti infernum, & dedisti eis lumen. * Vt viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Clamantes, & dicentes: aduenisti Redemptor noster. * Vt viderent te, &c. ℣. Requiem æternam, &c. * Vt viderent te. Dicto Pater noster *alta voce, aspergit, & incensat corpus defuncti vt supra. Deinde dicit*. ℣. Et ne nos, &c. ℣. A porta inferi, &c. ℣. Requiescat, &c. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ABsolue quæsumus Domine animam famuli tui N. vt defunctus sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem carnis humana conuersatione cõmisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christũ, &c. ℟. Amẽ.

Si defunctus sacris fuerit ordinibus initiatus, tria Responsoria dicuntur: primo, Subuenite, &c. *vt supra: secundo*, Ne recorderis, &c. *vt infra: tertio vero, & vltimo loco*, Libera me Domine, &c. *vt supra annotatur. In funere vero sæcularium non clericorum, duo prædicta Responsoria ad summum cantantur, scilicet*, Subuenite, &c. *&* Libera me Domine, &c.

Resp. Ne recorderis peccata mea Domine. * Dum veneris iudicare sæculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. * Dum veneris, &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison: Pater noster. Et ne nos, &c. *Et reliqui Versus, vt supra*.

Ora-

Oratio.

FAc quæſumus Domine, hanc cum ſeruo tuo miſericordiam, vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem: vt ſicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum tua miſeratio ſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum, &c ℟. Amen.

Finita Oratione, portitores accipientes feretrum, deportent illud ad tumulū, campana pulſante: interimque ſubſequentes Antiphona decantentur.

Antiph. In Paradiſum deducant te Angeli, in tuo aduentu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in ciuitatem ſanctam Hieruſalem.

Antiph. Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem, *Deinde dicatur Antiph.*

Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet; & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum: *ſtatim Canticum.* Benedictus, *alternatim per Choros à Fratribus decantatur. Dicto vero in fine prædicti Cantici,* Requiem æternam, *repetitur Antiph.* Ego ſum, &c.

Interim Sacerdos ſubmiſſa voce tumulum benedicit ſequenti forma.

Benedictio tumuli.

DEus, qui fundaſti terram, & creaſti cælos, qui omnibus nomina ſideribus indidiſti; qui captum laqueo mortis hominem lauacri ablutione reparaſti; qui ſepultos Abraham, Iſaac, & Iacob in ſpelunca duplici, in libro vitæ, atque gloriæ annotaſti benedicendos: bene ✝ dicere digneris hunc tumulum N. vt eum hic requieſcere facias, & in ſinu Abrahæ collocare digneris: per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, quem victis laqueis inferorum reſurgere feciſti, & ſuorum in ſe credentium membra iuſſiſti reſuſcitari. Reſpice quæſumus Domine, ſuper hanc fabricam ſepulturæ: deſcendat ad eam Spiritus tuus ſanctus, vt te iubente, ſit ei in hoc loco quieta dormitio, & in tempore Iudicij, cum Sanctis tuis omnibus vera reſurrectio, præſtante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui tecum viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Qua benedictione finita aſpergit defuncti corpus, & deinde foſſam, depoſitoq; aſperſorio thurificat vtrumque. Poſt repetitionem vero Antiph. Ego ſum, &c. *Sacerdos alta voce dicit,* Pater noſter. ℣. Et ne nos, &c. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine. ℟. Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiſcum, &c. Oremus.

SAtisfaciat tibi quæſumus Domine Deus noſter pro anima famuli tui Beatiſſimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum tuorum oratio, & præſentis familię humilis, & deuota ſupplicatio, vt peccatorū omniū veniā, quam precamur, obtineat, neq. eum patiaris cruciari gehenalibus flāmis, quem Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti pretioſo ſanguine redemiſti.

S *Finita*

Finita hac oratione dicat eodem tono. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Post hæc regrediantur Fratres ad medium Ecclesiæ, ibique sequens Responsorium alta voce decantent.

Resp. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. *Neque aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. * Neque aspiciat, &c. ℣. Requiem æternam, &c. * Neque &c. Kyrie eleison, &c. Pater noster. ℣. Et ne nos, &c. ℣. A porta, &c. ℣. Credo videre, &c. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui, vt defunctus sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum, &c. ℟. Amen.

De sepultura paruulorum. §. 3.

QVando paruulus aliquis in nostris Conuentibus sepeliendus, solēniter recipiendus fuerit, egrediantur Fratres processionaliter vsque ad portam Ecclesiæ, vel vsque ad locum à Superiore designatum. Cumque defunctum corpusculum peruenerit, Cantoribus incipientibus, cantetur Antiph.* Sit nomen Dñi benedictum, ex hoc nunc, & vsque in sæculũ. *& post ipsam Psal.* Laudate.

Psalmus. 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.
Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.
Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria eius.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo, & in terra.
Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.
Vt collocet eum cum Principibus: cum principibus populi sui.
Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
Gloria Patri, &c.

Qui canetur, vsque dum peruentum sit ad locum tumuli, post quem repetitur prædicta Antiph. & dicitur. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas, &c. ℣. Me autem propter innocentiam suscepisti. ℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

OMnipotens, & mitissime Deus, qui omnibus paruulis renatis fonte baptismatis, dum migrant à sæculo, sine vllis eorum meritis, vitam illico largiris æternam (sicut animæ huius paruuli credimus te fecisse) fac nos quæsu-

quæsumus Domine, per intercessionem B. Mariæ, & omnium electorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso beatis paruulis perenniter sociari. Per Christum,&c. ℟. Amen.

Deinde corpusculum in fossa deponitur, & dum humatur, incipientibus Cantoribus Antiphonam sequentem, eam Conuentus prosequitur.

Antiph. Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudate Dominum de cælis.

Psalmus 148.

Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.
Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.
Laudate eum Sol,& Luna: laudate eum omnes stellæ,& lumen.
Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit,& creata sunt.
Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit,& non præteribit.
Laudate Dominum de terra: dracones,& omnes abyssi.
Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
Montes, & omnes colles: ligna fructifera,& omnes cedri.
Bestiæ,& vniuersa pecora: serpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ,& omnes populi: Principes,& omnes Iudices terræ.
Iuuenes,& virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.
Confessio eius super cælum, & terram: & exaltauit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israel, populo appropinquanti sibi.

Repetitur Antiph. Iuuenes,&c. Kyrie eleison,&c. Pater noster. ℣. Et ne nos,&c. ℣. Sinite paruulos venire ad me. ℟. Talium est enim regnum cælorum. ℣. Domine exaudi,&c. ℣. Dominus vobiscum,&c. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cælorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam nobiscum misericorditer agere, vt meritis tuæ sanctissimę passionis, in eodem regno nos cum omnibus sanctis, & electis tuis semper facias congaudere. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sęcula sęculorum. ℟. Amen.

Vers. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. ℣. Fidelium animę per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Explicit Funerale.

INDEX CAPITVM.

Prima Pars, siue Processionarium.



De

Secunda pars Manualis, siue Funerale.

De

F I N I S.


Erratorum Correctiones.

Pag.	lin.	Errata.	Correctio.
5	27	fuerunt	fuerint
6	13	ſine	ſi ſine
6	26	vultus ſint	vultu ſint
9	10	ythos	Acolythos
13	6	Redemit	& redemit
16	1	Proceſſionem	poſt Proceſſionem
16	18	tabernaculi	tabernaculi mei
17	5	albo	alba
18	9	vulnas	Vlnas
26	13	Vulnas	Vlnas
26	vlt.	cereum	accipit cereum
31	16	miniſtris ſimiliter dalmaticas deponentibus. *dele*	
36	20	manipula	manipulo
37	20	cum Reuerendiſsimum Priorem Generalem	cum Reuerendum admodum P. noſtrum Præpoſitum Generalem
56	2	emendrtionem	emendationem
100	19	regnas	regnat
100	38	tuotum	tuorum
120	12	iu	in
123	15	tabulis	*adde* altitudinis
123	16	quod	qui.
127	penul.	mont	monte
129	30	intendi	intende
130	34	hominimem	hominem
132	32	rutiles	rutilos

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.





2-3-6